Cato, quanto maximo precio licitatus alius fuerat, acceptum A referens. *Plut. in Catone.*

Genuenſes poſt memorabile illud bellum, quod cum Venetis ad Foſſam Clodiam geſſerunt, magnum æs alienum contraxerant. Reſpublica igitur, ut præclarè meritis civibus aliquo modo proſpiceret, portoria iis, ac vectigalia publica, quoad illis ad aſſem eſſet perſolutum, aſſignavit: poteſtate facta, quibus vellent redemptoribus illa, & quanti viſum eſſet, locanda. Nam quò res commodiùs, ac majore cum privatorum auctoritate ageretur, publicas ædes ad urbis portas, quibus merces aliunde importatæ, quoad pro portorio exigant, à ſcripturæ magiſtris aſſervantur, conceſſit: quò ſtatis diebus convenirent, ac communibus de rebus ſtatuerent. Centum delectorum conſilium conſtituerunt, ex quibus magiſtratum creari placuit, qui octo modò hominibus conſtaret. Eorum ſupremam auctoritatem in communi re adminiſtranda eſſe voluerunt: in primis ut quæ de conſilii ſententia acta, conſtitutaque eſſent, exequenda unus, & tranſigenda curaret. Pecuniis quidem creditis in ſingulas partes diſtributis quoniam certus cuique locus erat deſcriptus, quò faciliùs ſinguli agnoſcerent ſuos, Locos placuit appellari: B ut pro creditæ pecuniæ ratione plures, paucioreſque locos ii habere dicantur, qui rem cum illa ſocietate contraxerunt. Jam quò honeſtiore, ac ſanctiore titulo collegium augerent, divi Georgii nomine (in cujus tutela, & procuratione civitas eſt) denominandum collegium cenſuerunt. Tanta autem cura dicitur geſta res, adminiſtrataque eſſe, ut cum nullo Reipub. incommodo privati magnis aucti opibus ditarentur (quarta enim centeſimæ pars illis modò fœnoris nomine ſolvebatur) in omnibus Reipub. temporibus compendio parvo admodùm contenti, ingentem pecuniæ vim civitati commodarent. At cùm privati uſque eò credendo grandes pecunias provecti eſſent, ut quæ pro portoriis exigerentur, minimè latas pecunias expenſas exæquarent: jam oppida, municipiaque omnia, quæcunque in ditione Reip. habentur, præter pauca admodum, addicta illis hoc nomine, adjudicataque eſſe dicuntur. Ita autem huic collegio Reip. oppida ſunt attributa, ut & privatorum opibus adversùs vim externam defendantur, & eorum ſuffragiis, qui illa Reip. nomine adminiſtrent, mandentur: & leges, & jura, ut alia jam Reſp. videatur in C Rep. eſſe incluſa, perſcribantur. Tam ſanctum autem, & inviolatum collegii illius jus ſemper extitit, ut ne perduellionis quidem rei, quique vel tyrannidem affectaſſent, vel impia contra patriam arma geſſiſſent, bonis licèt reliquis omnibus publicatis, eo privarentur. *Brut. lib. 8. hiſt. Flor.*

SALARIO, MUNERIBUS, DONIS.

☞ *Vide ſuprà Tit. Petere prudenter.*

Jacob Laban ſoceri pecus verſicoloribus virgis ſuum fecit. *Geneſ. 27.*

Epaminondas amico juſſit, ut adiret pecunioſum quendam, ac talentum ab eo peteret, adderetque ſe juſſiſſe. Hic ille, à quo flagitatum erat, cùm ad eum profectus cauſam requireret: Quia bonus hic, inquit, eſt vir, tu verò circumfluis divitiis, qui pecuniam publicam intervertiſti. *Plut. in Politicis.*

Arceſilaus, cognita Apellis Chii valetudine affecti inopia: iterùm inviſit eum, adferens drachmas viginti, aſſidenſque propè: Hic nihil eſt, inquit, præter elementa hæc Empedoclis.

πῦρ ϗ ὕδωρ ϗ γαῖα ϗ αἰθέρος ἤπιον ὕψος.

Ignem, & aquam, & terram, & placidi faſtigia cœli.

At ne cubas quidem tu commodè. Simul verſans illius cervi-D cal, id argenti ſubiecit clanculum. Ut igitur, quæ ei miniſtrabat, hoc reperit anus, admirataque Apelli ſignificavit, ridens ille: Arceſilai eſt, inquit, hoc furtum. *Plut. de Diſc. adul.*

PECUNIÆ ADULTERIO.

Leucon pecuniis indigens, promulgavit ſe aliam monetam percuſſurum; itaque adferret quilibet ſuos nummos, ut alia forma excuſi valerent. Quibus omnes quicquid habebant adferentibus, aliud ſignum impreſſit, duplicique pretio eſſe unumquemque nummum juſſit. Itaque dimidiam partem eorum, quæ collegerat lucratus, neminem civium damno affecit. *Polyæn. l. 6.*

DIVITIAS, OPES QUALESCUNQUE, THESAUROS, prudenter conſervare. NE AUFERANTUR PER *Vim, & Injuriam apertam.*

Abigail Nabalis Ziphæi uxor prudentiſſima, cùm cognoviſſet Davidem adversùs ſe jam inſtruxiſſe ordinem, ob denegatum commeatum à marito: clàm marito ducentos panes, duos vini utres, quinque oves apparatas, quinque ſata polentæ, centum uvas paſſas, & ducentas ficuum palathas aſinis E impoſuit, iiſque Davidem iratum placavit. *1. Reg. 26.*

Crœſus Rex, cùm videret Cyri milites per urbem Sardis captam diſcurrentes, percontatus eſt Cyrum, quid agerent; Cùmque is reſpondiſſet: Diripiunt urbem tuam, opeſque tuas populantur. Nequaquam, inquit, ò Rex nihil jam hic meum eſt: tuum eſt, quod diripiunt. Ea vox commovit Cyrum, ut ſuos à direptione revocaret. *Herodot. lib. 1.*

Demophon ab Athenienſibus acceptum depoſiti loco Palladium cuſtodiebant, Agamemnone repetente: ac verum quidem tradidit civi cuidam Athenienſi, nomine Rhuzygæ, Athenas deportandum. At æquale, & ſimile aliud factum, in tabernaculo habuit. Agamemnone verò cum magna manu adventante, repugnabat, ut omnino opinionem hoſtibus faceret, ſe pro vero pugnare. Multis autem vulneratis, Demophontis milites ceſſerunt. Agamemnon fictum Palladium rapuit, & deceptus diſceſſit. *Polyæn. lib. 1.*

Mortuo Alexandro Babylone, propter regni contentionem triginta diebus inhumatus, carenſque ſepulchro relictus fuit. F Hoc videns Ariſtander, ut vel invitos ad ſepulturæ honorem congereret, in medios Macedones irruit, & omnes omnium ſæculorum Reges Alexandrum felicitate ſuperaſſe, tam vivum quàm mortuum aſſeruit. Etenim Deos immortales ſibi notum feciſſe, in quacunque terra requiem ipſius cadaver eſſet habiturum, eam felicitate abundantem, & ab omni hoſtili vaſtatione in perpetuum liberam fore. Hoc audiens Ptolemæus, maxima feſtinatione raptum, in urbem Alexandri in Ægypto ſitam deportavit. Et ne ipſi à Perdicca in itinere eriperetur, clàm facto ſimulacro, Alexandri effigiem referente, veſte Regia illud exornavit, & entaphiis honorificentiſſimis: deinde in Perſicum currum impoſuit, ac feretrum magnificè auro, argento, & ebore inſtruxit. Sed verum Alexandri corpus apparatu tenui præmiſit per vias occultas, & invias. *Ælian. l. 12. de Var. hiſt.*

Annibal ab Antiocho fugiens in Cretam, ad Gortynios venit. Videns autem magno ſe fore in periculo, niſi quid prævidiſſet, propter avaritiam Cretenſium (magnam enim ſecum pecuniam portabat, de qua ſciebat exiſſe famam) amphoras complures complet plumbo, ſummas operit auro, & G argento. Has Gortyniis præſentibus deponit in templo Dianæ, ſimulans ſe ſuas fortunas illorun fidei credere. His in errorem ductis: ſtatuas æneas, quas ſecum portabat, omnes ſua pecunia complet, eaſque in propatulo domi abiicit. Gortynii templum magna cura cuſtodiunt, non tàm à cæteris, quàm ab Annibale, ne quid ille inſcientibus his tolleret, ſecumque portaret. Sic conſervatis ſuis rebus Pœnus, illuſis Cretenſibus omnibus, ad Pruſiam perfugit. *Probus in Annib. & Sab. l. 7. En. 5.*

Cùm Titus Hieroſolymam obſideret, Judæorum multi rebus cariſſimis exiguo pretio venundatis, aureos nummos, ne à Zelotis deprehenderentur, devorabant: cùmque ad Romanos elapſi eſſent, exonerato ventre eos recipiebant. *Joſeph. l. 6. c. 11. Belli Judaici.*

Alexius Protoſtrator, magni Domeſtici Joannis Axuchi filius natu Maximus, Anconam ab Imperatore Manuele Comneno miſſus, vel ad componendum bellum, vel conſcripto milite protrahendum: poſtquam pacificationis cum Rege Alemannorum Friderico Barbaroſſa nuncium accepit, clàm civibus pecunia aliò translata, capſas inanes obſignatas procerum fidei mandat: jubetque caveri, ne quid inde auferatur, neve quæratur, quid in iis ſit, aut ſigna ante ſuum ab Impera- H tore aditum aperiantur. *Nicetas l. 2.*

Albertus Dux Magnopolenſis, qui primus cum fratre intulit familiæ, & domui ſuæ ducalem honorem, villam Rodenſtorpen, ſubjectam Raceburgenſi Epiſcopatui, impetebat. Vvibertus Epiſ. eam ſui juris eſſe probare contendens, ubi videt omnes juris, & amicitiæ vias claudi, in cœtu multorum miniſterialium, Audite, inquit horrenda voce, principes, & qui adſtatis univerſi, verbum Domini. Deus, qui per merita ſervi ſui Ludolphi prædeceſſoris noſtri, cui majores veſtri impenderunt miſericordiam, & conſolationem in afflictione ſua, exaltavit, & glorificavit domum veſtram, Dux Alberte, ut præ aliis opibus, honore, ditione, creveritis: quandoquidem vos pro tantis beneficiis ingratos video: ſequar judicium divinæ pietatis, inferam pro benedictione maledictionem, & reſpiciet Deus preces ſervorum injuſtè afflictorum. Simulque hæc dicens, juſſit afferri Pontificalia indumenta. Dux, ab incepto deſtitit. *Crantz. l. 9. Metrop. c. 47.*

Tyran-

Tyrannus ad exhauriendum bona cujuſdam opulenti, & A jactabundi, ſub gravi pœna præcepit, ut aſinum literas doceret. Ille impoſſibile ait fore, niſi multum temporis ſibi in erudiendo aſino concederetur. Petere quantum vellet juſſus, decennium impetravit. Deridebatur ab omnibus, quoniam rem impoſſibilem ſuſcepiſſet. Ille amicos ſolatus. Nil timeo, inquit: nam interim aut ego moriar, aut aſinus, aut Dominus. *Poggius in Facetiis.*

Mortuo Franciſco I. Gallorum Rege, Henricus F. ab nobili Matrona, quæ Regi in deliciis vulgò formæ cauſa, ſeu potiùs, ut cordatiores judicabant, ingenii, & morum gratia fuerat, profuſas donationes à patre facta per legatos repetiit. Illa cùm ea, quæ occultari non poterant, nunciis benignè conceſſiſſet: poſt aliquot dies ſpontè κειμήλια omnia maximi precii ad Regem miſit, cum hac verborum præfatione: Si quidem Regi paternæ donationes viderentur reſcindendæ, nullam in ſe fore moram, id unum ſibi ægrè accidere, quòd cujus fidei ſumma omnia pater concrediſſet, de ejus fide in auro, gemmis, monilibus reſtituendis filius dubitare videretur. Cæterùm ea ſe Regem in præſens cura liberaturam: quæcunque nunciorum curam effugiſſent, iis tanquam à liberali profectis animi Rex pro libito uteretur, frueretur. Ea magnitudine animi delectatus Rex, ut famæ inſuper B paternæ conſuleret, etiam ea, quæ per nuncios priùs acceperat, cum fœnore reſtituenda curavit. *Huberti Langueti hypomnema.*

Dolum.

Ancilla quædam pecuniam depoſiti nomine à duobus hoſpitibus acceperat, ea conditione, illam ſimul utriſque redderet: quorum alter interjecto tempore, tanquam mortuo ſocio, ſqualore obſitus, deceptæ omnes nummos abſtulit: ſupervenit deinde alter, & depoſitum petere cœpit. Hærebat ita miſera, ut de laqueo, & ſuſpendio cogitaret. Sed opportunè ei Demoſthenes patronus affuit, qui ut in advocationem venit: Mulier (inquit) parata eſt depoſiti fidem ſolvere: ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt: quoniam, ut ipſe vociferaris, hæc dicta eſt lex, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Judices pro ea pronunciarunt, Demoſtheni prudenter monenti obtemperantes. *Val. Max. l. 7. c. 3.*

Luitprandus Longobardorum Rex, è Sardinia Inſula D. Auguſtini corpus Papiam tranſtulit, ad D. Petri, & ne facilè reſciri poſſet, quo loco conditum eſſet, tribus locis effoſſis, C ſtructiſque ſepulchris, & noctu clam occluſis, alio loco corpus condi juſſit, ut certo corporis loculo ignorato, minùs prompta ejus rapiendi occaſio foret. Conſtructum deinde eſt alio ſæculo D. Auguſtino ſacellum juxta templum D. Petri, in quo tumulus honorarius viſitur. *Bern. Saccus l. 9. Ticinenſis hiſt.*

CORRUMPANTUR, PERDANTUR.

Demetrius Poliorcetes Rhodum oppugnabat, & ædes qualdam extra urbem publicas, igni abſumere parabat, in quibus erat memoratiſſima illa Jalyſſi tabula, Protogenis pictoris manu facta: cujus operis pulchritudinem, præſtantiamque ira percitus Rhodiis invidebat. Mittunt Rhodii legatos ad Demetrium cum his verbis: Quod malum (inquiunt) ratio eſt, ut tu imaginem iſtam velis incẽdio ædium facto diſperdere; Nam ſi nos omnes ſuperaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra, & incolumi per victoriam potieris: ſin verò nos vincere obſidendo nequiveris, petimus conſideres, ne turpe tibi ſit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe. Hoc ubi ex legatis au- D divit, ab oppugnatione deſtitit, & imagini, & civitati pepercit. *Gellius l. 15. 6. 31.*

AMITTANTUR. VEL *Naufragio.*

Cùm in Cypro Ptolemæus deceſſiſſet, Cato minor eam provinciam ſortitus, ex regio theſauro paulò minus ſeptem millia argenti talentorum coegit. Veritus autem longam navigationem, multa vaſa paravit: quorum capiebant ſingula bina talenta, & drachmas quingenas. Singulis longum alligavit funiculum, cujus capiti corticem ſuberis prægrandem annexuit: quò ſi afflictum eſſet navigium, alligatus ab imo locum commonſtraret. Argentum tamen omne, pauco excepto, proſperè tranſvectum eſt. *Plut. in Catone.*

Incendio.

Auguſtus Imp. delegit Romæ è libertinorum numero milites, qui adversùs incendia ferrent opem. Contra ruinas verò novorum altitudines ædificiorum depoſuit: & ne quis ſupra pedes ſeptuaginta ſublimiùs ædificaret, inhibuit, in publicarum vicinitate viarum. *Strabo lib. 5. & Suetonius.* E

Claudius Cæſar Puteolis, & Hoſtiæ ſingulas cohortes ad arcendos incendiorum caſus collocavit. *Sueton.*

DIVITIAS, OPES AMISSAS, EREPTAS RECIPERE.

Iſraelitæ ex Ægypto egreſſuri, à vicinis ſuis Ægyptiis vaſa aurea, & argentea, mundumque muliebrem mutuò acceperunt, quòd iis ad ſacrificium Deo ſuo in deſertis peragendum opus habere dicerent. Neque difficulter obtinuerunt, cùm Dominus Ægyptiorum animos flecteret. Et ſic Ægyptios auro omni ſpoliaverunt, cùm priùs & primogenitos eorum angelus interfeciſſet, & variis aliis plagis tota Ægyptus afflecta fuiſſet, eò quòd populum Dei Pharao dimittere nollet: Fraus iſta fuit, ſi exteriorem corticem ſpectes, in mutuo. At revera non mutuum accipiebant, ſed jure repetundarum ab Ægyptiis Iſraelitæ id, quod ſuum erat, recipiebant, ut in pios uſus, & cultum veri Dei converteretur. *Exod. 12.*

Apud Ægyptios lex in fures erat, quæ jubebat eos, qui furari volebant, nomen ſuum apud principem ſacerdotum ſcribere, atque eveſtigiò furtum ad eum deferre: ſimiliter quibus res furto erepta erat, apud eundem rei ſublatæ tempus, diem, & horam ſcribere. Hoc modo facilè invento furto, qui rem amiſiſſet, quarta mulctabatur parte, quæ daretur F furi. *Diod. l. 1. c. 6.*

Cherſobieptes, cùm ejus cognati deſciſcentes, magnam pecuniarum vim clam exportaſſent: facta pace, civitatum eis præfecturas dedit, eoſque ab ſe invicem disiunxit. Cùm aliquantum temporis interceſſiſſet, pecuniaſque exigeret, comprehenſos eos ex urbibus ejecit, & pecunias ipſe poſſedit. *Polyæn. l. 7.*

Dionyſius Syracuſiorum tyrannus, in Tyrrheniam navigans centum triremibus, cùm navis, quæ equites vehebat, tranſiſſet ad Leucotheæ fanum, acceptis ſeptuaginta talentis numiſmatis confeſtim navigavit. Cùmque intellexiſſet, in occulto mille argenti talenta, aut amplius, milites ac nautas diripuiſſe, antequam eos in terram exponeret: his, qui pecunias haberent, imperavit, ut dimidium ſummæ ad ſe deferrent, dimidium verò ſe ipſis relinquere: qui morem non gererent, eos ſe morte mulctaturum. Cùm ergo dimidiam partem ſinguli attuliſſent, reliqua etiam exegit, dono viciſſim eis dedit ad menſem frumentarias præfecturas. *Polyæn. l. 5.*

C. Julius Cæſar Nicomediam navigans, juxta Maleam à latronibus Cilicibus captus eſt. Qui cùm magnam mercedem G pro ejus liberatione peterent, ille duplicem ſummam promiſit. Appulerunt Miletum. Homines extra mœnia accurrebant. Cæſar Epicratem Mileſium ſervum mittit ad Mileſios rogans, ut ſibi pecunias mutuò darent. Qui eas confeſtim miſerunt. Epicrates mandatum habebat à Cæſare, ut cum pecuniis magnum convivii apparatum apportarent, & hydriam plenam enſibus, vinumque mandragora mixtum. Cæſar duplicatam latronibus pecuniæ ſummam numeravit, eiſque convivium appoſuit. Illi exultantes pecuniarum multitudine, largiter genio indulgebant: & vinum medicatum bibentes, in ſoporem incidebant. Cæſar dormientes interficere juſſit, ſtatimque pecunias Mileſiis reddidit *Polyænus lib. 8.*

Henricus III. Anglorum Rex, pecuniæ egens, ex conſilio Petri Vintonienſis antiſtitis populo aſſiduis tributis exhauſto parcens, poſſeſſiones quas ab initio ipſe adoleſcens parum conſideratè ſuis donaſſet, ab illis recepit, ſimulque rapaciſſimos quoſque, qui ampliores præfecturas gerebant, privavit, coegitque rationem reddere, illis pro ſpongiis uſus, quòd anteà ſic eos perfudiſſet, ut nunc madidos poſſet exprimere: quod H olim Veſpaſianus factitaſſe fertur. *Polyd. l. 16.*

Alphonſi Aragonii temporibus, Agrigenti (quæ Siciliæ civitas eſt) vir cæcus fuit aſtutiſſimus, qui per Inſulam proficiſcens, ſine ullo ductore, etiam videntes interdum anteibat. Hic cùm haberet quingentos aureos nummos, veritus ne ſibi furto adimerentur, in agro eos defodit. Quod cùm fortè quidam vidiſſet, qui ei per baptiſmi ſacra conjunctus erat, & haud longè ab eo loco habitabat, ſequenti die effoſſam inde pecuniam abſtulit. Cæcus poſt aliquot dies ad locum rediit, ut pecuniam quæreret. Quam cùm non inveniſſet, conjectura aſſecutus eſt, propter vicinitatem nullum alium quàm vicinum, de quo dictum eſt, avertiſſe. Itaque rem diſſimulat, atque poſt aliquot dies vicinum conveniens, ſub jurisjurandi fide, ut meliùs tegeretur aſtus, ceu amico communicat, ſe aliàs pecuniam defodiſſe: & cum tantundem nunc etiam haberet, petere ſe ab amico conſilium, deberetne ſimul cum alia defodere, aut ſeorſim eam apud ſe retinere; Amicus, qui hanc quoque cæci pecuniam, ut aliam, auferre

cupe-

cuperet, ſuaſit, ut cum alia defoderet: & ne cæcus, ſi pri- A mam abeſſe pecuniam inveniſſet, hanc, quam ſe habere nunc dicebat, illic deponere abſtineret, primam, illic, ut antè erat, repoſuit. Cæcus illuc profectus, cùm pecuniam inveniſſet, arbitrareturque id, quod erat, ſcilicet amicum haud longè ab eo loco abeſſe, exclamavit: Hac in re, amice, oculatior vidente cæcus fuit. *Fulg. l.7. c.3.*

Lippa expugnata à Chriſtianis, ductu Georgii monachi, & Joan. Baptiſtæ Caſtaldi, archiſtrategi Regis Ferdinandi, anno Sal. M. D. LI. cùm defectores fortunis omnibus exuerentur: Mercatoris Lippenſis, qui in oppugnatione occubuerat, Uxor ſpoliata bonis, quæ Georgius duobus centurionibus donaverat, forma eximia ad Caſtaldum noctu venit, ſuam calamitatem narravit, miſericordiam illius imploravit, indignum eſſe ſe ob mariti improbitatem ad mendicitatem redigi, & quod morte pejus duceret ad impudicitiam: Chriſtianam ſe eſſe, eoque dignam, erga quam Chriſtianus Dux pietate moveretur. Caſtaldus generoſo mulieris animo perſpecto, donationem irritam habuit, mulieri bona reſtituit, centuriones aliis muneribus proſecutus eſt, quorum alter hanc ipſam formæ, & virtutis nomine B in uxorem dixit. *Aſcanius Centorius lib.3. Com. belli Tranſilvaniæ.*

URBES, REGIONES, ARCES

Comparare.

Dido è Phœnice profuga, ab Hiarba Maſſylorum Rege mercata ſolùm, quantum cervino poſſet circumdare tergo, pellem in minutas diviſit corrigias, iiſque circumdedit tantum agri, quantum urbi æmulæ aliquando Romani futuræ Imperii ædificandæ ſatis eſſet. Hanc ob cauſam arci Carthaginis, Byrſa nomen inditum. *Æneid.4.*

☞ Clazomeniorum, & Polycleæ exempla ſub Tit. *Oracula prudenter confirmare*, reperies.

Æneanes, cùm Cirrhæ ſaxis Regem obruiſſent Oenoclum, Apollinis præcepto in regionem Inacho adjectam deſcenderunt, quam habebant Inachienſes, & Achæi. Fuit editum oraculum his, ſi impertiti eſſent regionem, amiſſuros univerſam; illis, ſi à volentibus accepiſſent, acquiſituros. Igitur Temon, vir inter Athenienſes cordatus, veſte ſumpta pannoſa, & pera, mendici ſpecie, ad Inachienſes contulit ſe. Cui ad contumeliam, & ludibrium cùm glebam Rex dediſſet, C acceptam in peram condidit, nihil ampliùs poſcens. Majores natu Regem adeuntes, ne rem vilipenderet, monuerunt, neque hominem miſſum faceret. Temon centum bobus Apollini votis effugit, & paulò poſt Æneanes regionem obtinuerunt. *Plut. in Græcis quæſt.*

Philippus Macedoniæ Rex, Aratum Sicyonium Achæorum prætorem Meſſene è theatro duxerat Ithomatam, ad ſacra Jovi facienda, & contemplandum locum. Eſt enim non ſecus atque Acrocorinthus munitus: quo ſi præſidio firmatus ſit, multum vexari accolæ poſſunt, atque eſt inexpugnabilis. Sacrificans ibi, exta bovis, quæ ei porrexit aruſpex, monſtravit, Arato, & Phario Demetrio, quæſivitque quid uterque in viſceribus animadverteret? teneret arcem ipſe, an redderet Meſſeniis? Ibi arridens Demetrius: Si aruſpicis, inquit, mentem habes, relinques hunc locum: ſin Regis, tenebis ambobus cornibus bovem, ænigmate ſignificans, Peloponneſum, ſi Acrocorintho adjeciſſet Ithomatam, fore ei obnoxiam, & infractam. At rogante Philippo Aratum, Quid is ſentiret? contrarium ſuaſit, & potiùs fide, & benevolentia conciliandos ſubditos, quàm latronum inſtar in petris nidulandum docuit. Cui Phi- D lippus, poſthabito Demetrii conſilio longè commodiore, acquievit, expugnatus quaſi ab illo, & oppido iſto ſpoliatus. *Plut. in Arato.*

Juratus, Dacorum Rex, ingenti claſſe Angliam invaſit, anno DCCCLXIII. Sed ab Ethelredo Rege fortiter repulſus, ut *Saxo Grammaticus* prodiit, conciliata cum Anglo pace, tantum arvi ab eo impetravit, quantum equino poſſet circumdare tergo, & illo in minutiſſimas corrigias ſecto, amplum urbi condendæ locum occupavit. Qui deinde renovato bello: rerum hoc pacto potitus eſt. Sed biennio poſt, relicto Agnero Inſulæ præſidio, domum ob rerum novarum motus redire neceſſe habuit. Non ponit Saxo nomen urbis ab Ivaro ſubitò ædificatæ. Aſt ab iſto artificio videtur traxiſſe nomen oppidum, quod Dongcaſtrum vocatur: nam thong, Anglicè corrigia dicitur, & th pro d Angli utuntur, ut inde Dongcaſtrum ſit nomen compoſitum *Polyd. l.5.*

Henricus Etichronis, vel Ethiconis comitis ab Altorf, & Ravenſpurg F. à ſororis marito Ludovico Francorum, & Bojorum Rege, Ludovici Pii nepote (alii ſcribunt, à Carolo Magno, alii à Ludovico Pio) quicquid in ſuperiore Bojaria aureo vehiculo à prima luce ad meridiem ambiret, per ludum E popoſcit. Ludovicus ratus, fratrem conjugis pauperiorem eſſe, quàm ut aureum carrum poſſideret, poſtulatis annuit. Mox Henricus plauſtro ruſtico, in ſinu interim aureum curriculum geſtans, unde cognomen ei adhæſit, circumvectus eſt à Lyco fluvio ad Ambronem flumen, à Gelono flumine ad Alpes Peninas. Arriſit Ludovicus dolo, & quæcunque hiſce finibus continentur, Henrico donavit. Hujus poſteritas deinceps potita eſt Bojaria. *Albert. Crantzius l. 2. Saxoniæ c.26.*

Regnerus Danorum Rex, ut Schoningiam (quæ in litorali parte Scandiæ eſt, Daniæ vicina) ſuo regno adjungeret, quando armis non poterat, Thoram Heroti Sueonum Regis F. in uxorem petiit, & Langerthæ uxori ſuæ, ut in repudium conſentiret, perſuaſit, eo tempore ex vetuſtiſſimo more obſervabatur, ut quantò illuſtriori ſanguine virgines natæ eſſent, tantò majora pericula proci ſubire cogerentur. Aliis enim fortiſſimi gigantes, & pugiles duello ſuperandi opponebantur: ab aliis exacta militaris diſciplinæ experientia, aut glorioſum aliquod facinus, pro ſalute Reipub. peractum expetebatur. Thoræ thalamum duæ immanes belluæ tutabatur, F quæ antè expugnandæ erant, quàm viro traderetur. Ergo & Regnerus ferociſſimas belluas non minùs feliciter quàm fortiter expugnavit. Quas Saxo Danicus ſcriptor ſerpentes fuiſſe aſſerit tantæ magnitudinis, ut integrum bovis cadaver quotidiano paſtu abſumerent: alii immanes urſos fuiſſe ajunt. Interim Herotus pugnam ex aula contemplatus, interrogat, quiſnam eſſet ille monſtrorum domitor villoſis femoralibus indutus? deditque ea quæſtio occaſionem, ut poſteà Regnerus Lodbroch, hoc eſt villoſarum bracharum cognominaretur. Qui deinde ex hac conjuge complures liberos procreavit: quorum occaſione plurima, & cruenta bella inter Svecos, & Danos, ſuborta fuerunt, enitentibus Danis, poſteritatem Thoræ invitis Sueonibus obtrudere. Præterea Regnerus per has nuptias quietam Schoningiæ poſſeſſionem aſſecutus eſt, donec eam Ericus Sueonum, & Gothorum Rex, cognomento Victorioſus, ad Gothici regni coronam viribus, & armis revocavit. *Jo. Magnus l.17. c.5.*

RECIPERE.

Venceslao III. Bohemorum Rege mortuo, mors per Aulicos, officia ei licet mortuo tanquam vivo exhibentes, eatenus ſuppreſſa fuit, dum omnes, qui ære vili mutuo dato, optimas G Regis arces pignoris loco poſſidebant, quaſi mandato Regis ad rationem revocati, pecuniam creditam, certis nominibus deductis, recipere, & arces invicem reſtituere compulſi ſunt. Ac tum demùm mors divulgata, funuſque regium, quo decuit, honore celebratum. *Dubravius l.16.*

ÆDIFICARE, RESTAURARE.

Solon in Cypro in ſumma gratia fuit apud quendam illius regionis Regem Philocyprum. Habebat oppidum hic exiguum à Demophonte Theſei filio ad Clarium amnem conditum, munito quidem loco, ſed aſpero, & ſterili. Et Solon, cùm eſſet lætus campus ſubiectus, illuc ſuaſit ut urbem transferret, amœnioremque, & ampliorem excitaret. Atque ipſe præſens, ut frequentaretur oppidum cultoribus, curam egit, ſociuſque fuit Regis in conſtituendo eo, cum ad vitam, tum ad ſecuritatem commodiſſimè tuendam. Unde frequentes incolæ confluxerunt ad Philocyprum, æmulatique hoc ſunt cæteri Reges. Quare Soloni honorem habuit, nominata urbe, quæ dicta antè Æpea fuerat, ab hujus nomine Solis. *Plut. in Solone.* H

Alexander, cùm in Ægypto urbem ædificare decreviſſet, eis, quos negotio præfecerat, injunxit, inter paludem, & mare, quem locum ipſe diligenter metatus, & ad regiones urbis ponendas partitus fuerat, eam extruerent, voluitque Alexandriam de ſuo nomine appellari. Cujus poſitio commoda valde electa eſt, ob vicinitatem portus Phari. Recteque in vicis diſponendis illud fuit conſideratum, ut omnes flatu ventorum, qui anniverſarii dicuntur, inſpirarentur. *Diod. l.17.*

Annibal Pœnus, devicto ab Romanis Antiocho, contulit ſe ad Armenium Artaxam. Cui cùm alia multa viriliter ſuaſiſſet, etiam notata ejus loci, qui iners negligebatur, eximia indole, atque amœnitate, formam ibi urbis delineavit, eamque deducto eo Artaxæ oſtendit, hortatuſque eſt ad eam condendam. Quod cum Regi placuiſſet, atque ab eo contendiſſet, ipſe ut operis curam ſuſciperet: amplam excitavit, & magnificam urbem, eamque ab Rege appellavit Artaxam, Tigranis poſteà Regiam, atque caput factam Armeniæ. *Plut. in Lucullo.*

Urbs

Urbs deformis veteribus incendiis, ac ruinis erat. Veſpa- A ſianus vacuas areas, & dirutas domus, deformationi auxilium ferens, conceſſit unicuique occupanti, ſi eas ipſi Domini ceſſarent, aut detrectarent ædificare, reficere, extruere. Paucos enim re ſua privari ſatius eſſe, quàm in urbe urbem quærere. *Ærodius ex Suetonio.*

Frequentare, Populosas reddere.

Epheſus olim à templo aliquot ſtadiis diſtabat, uſque ad Crœſi tempora. Poſteà circa templum habitavere, uſque ad Alexandri tempora. Lyſimachus condita urbe, quæ nunc eſt, cùm homines non libenter inde commigrarent, vehementi imbre obſervato foſſas, & canales obſtruxit: unde urbs ſubmerſa eſt, & illi perlibenter traducti tranſmigravere. Lyſimachus urbem de uxoris nomine Arſinoen appellavit, veruntamen antiquum nomen obtinuit. *Strabo l.14.*

Romulus, Romæ conditor, ut urbem redderet populoſam, inter arcem, & Capitolium (ipſe loco Intermontio nomen fuit) inter duo querceta, umbranti loco, Aſylum conſtituit. Huc ſervi, & qui domeſticis erant judiciis obnoxii, velut ad unicum libertatis, & vitæ portum, certumque perfugium, ex circumjectis urbibus migrabant. B Qui benignè accepti, & ad urbem colendam omnibus officiis invitati, frequentiorem reddiderunt indies civitatem. *Sabel. l.2. Enn.2.* At cùm conjugia Romanis deeſſent, per legatos à finitimis connubia petiit. Quibus negatis ludos Conſualia ſimulavit. Ad quos cùm utriuſque ſexus multitudo veniſſet, dato ſuis ſigno virgines raptæ ſunt: ut eſt *apud Cæcilium.*

Furius Camillus cùm cenſuram ageret, ut exhauſta civitate propter aſſiduas bellorum clades, cives ſuppeterent, legem de maritandis ordinibus tulit: qua inter cætera pœnis coercuit illos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, devitarent. Eos verò qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, æra pœnæ nomine ad ærarium ferre juſſit. Quam legem Q. etiam Metellus Numidicus iterùm in cenſura promulgavit. *Alex. ab Alex. l.3. c.13.*

C. Julius Cæſar XXC. civium millibus in tranſmarinas colonias diſtributis, ut exhauſtæ quoque urbi frequentia ſuppeteret, ſanxit, ne quis civis major annis viginti, minorve decem, qui ſacramento teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet: neu quis Senatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus, peregrè proficiſceretur, neve hi, qui pecuniam facerent, minus tertia parte puberum inge- C nuorum inter paſtores haberent: omneſque medicinam Romæ profeſſos, & liberalium artium Doctores, quòd libentiùs & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. *Suet. in Julio I.*

Theodericus Oſtrogothorum in Italia Rex, ad frequentandas urbes edicto juſſit, toto anni tempore, præterquam tribus meſſium, & autumni menſibus, civitates, & oppida frequentare, obire munera, quibus anteà quietiſſimis Reipublicæ temporibus conſueviſſent. Non ſolùm enim agreſtes tunc, ſed etiam honeſto nati loco, motibus fatigati, quibus tamdiù Italia jactata fuerat, rura incolebant. *Crantz. l.3. Suet. c 13.*

Sub ipſam Venetę urbis originem cùm undique magnis pollicitationibus ad novam urbem incolendam homines rei maritimæ, navaliſque fabricæ periti accerſerentur: neque ſervilis fortunæ quemquam, neque ſicarium, ſceleſtumve aliquem in eam receptum affirmant. Ex quo manifeſtè apparet, viros illos optimos urbis conditores noluiſſe naſcentem civitatem prava ulla convenarum colluvione contaminari. Quod ipſum non D modò non fecerunt illuſtrium urbium conditores quidam, ſed ultrò flagitioſiſſimum quemque aperto ad hoc ipſum aſylo in civitatem evocaverunt. Verùm illi frequentiæ, hi motum ſanctitati, nobilitatique ſuæ conſultum volvere. *Sabell. l.1. Decad.1.*

Alphonſus Albuquercius, Indiæ prætor, Goa expugnata, Luſitani Imperii in India metropolim eſſe voluit, eaque civitatis fundamenta jecit, quibus nixa non facilè de ſtatum convelli poſſet, ſic ut juſti in ea exercitus conſcribi, & claſſes magnæ ædificari poſſent. Cùm verò Luſitanas mulieres non haberet, quod unum remedium inveniebat: eas, quas bello ceperat, Chriſtianis ſacris expiatas, Luſitanis militibus matrimonio collocabat, eiſque poſſeſſiones in ea Inſula, Saracenis ob perfidiam jure detractas, aſſignabat, eoſque multis favoribus, atque præmiis ad eas nuptias alliciebat. Sic factum eſt, ut inſtar Romuli, qui urbem Romam condidit, aut Theſei, qui cives Atticos è pagis in urbem compulit, aut aliorum, qui urbium fundatores extitere, illius urbis, quam armis, atque virtute cepit, conditor appellari poſſet. *Oſorius l.7. rerum Emmanuelis.* E

Locupletare.

Pſammetichus primus Ægyptiorum Regum, cæteras nationes ad importanda, quæ apud ſe erant, allexit, ſecuritate ſingulis adeuntibus præbita. *Diod. l.1. c.5.*

Munire.

Seſoſtris Ægyptiorum Rex, cùm Scythas, & Græcos ſubegiſſet, maximam multitudinem gentium captivarum in Ægyptum ſecum duxit; earumque opera uſus eſt ad lapides immenſæ magnitudinis in templum Vulcani pertrahendos, & ad diportia aquarum effodienda, ut Ægyptum priùs equis, & plauſtris agendis idoneam contra vim hoſtium muniret. Ab eo enim tempore inequitabilis, & paluſtris inhabilis regio extitit, propter multiplices foſſas univerſa loca occupantes, in quas Nilus inundans reciperetur, ne loca arida ſiti laborarent. *Herodotus l.2.*

Ex Vindoniſſæ urbis excidio fratres duo Romani evaſerant. Quorum alter ad Argentinenſem Epiſcopatum evectus, Fratrem pecunia ad ædificandam arcem prope Vindoniſſam impulit, quam Habſpurgum vocant, tot Regum, & Imperatorum progeme inclytam. Epiſcopus arcem abſolutam audiens, ad F fratrem profectus, cùm ædificium rude, & infirmum eſſe videret, primùm admirari hominis væcordiam, mox etiam pecuniæ collatæ rationes exigere cœpit. Tum frater: At cras propugnacula, & rationes meas videbis. Noctu intereà nobiles, & ruſticos vicinos, quorum vel agros, vel operas pecunia redemerat, armatos adeſſe jubet, & manè tanquam oppugnaturos ad arcem aſcendere. Epiſcopus rei ignarus, multitudine ea territus, quaſi hoſtium eſſet, à fratre admonitus eſt, ferreos hoſce muros ſuos eſſe, pecunia redemptos, lapides longè præſtantiores. Hac ratione Epiſcopo ſatisfecit. *Stumpff.*

Pragenſes ſub Ludovico Rege, ſeriùs licèt, ſecum reputantes quòd adunata quam diviſa virtus, & fortior, & tutior eſſet, duas civitates ſuas in unam contraxere, unam magiſtratum in utraque civitate conſtituere, foſſas complanavere, portas reſeravere, pœnamque exilii perpetui contra eum ſancivere, quiſquis conſtituta turbaret. *Dubravius l.33.*

Conservare. Ab Excidio prohibere.

Bello vigente inter Tyndaridas, & Theſeum ob raptam Helenam, cùm illi Aphidnas occupaſſent, & ſororem recepiſſent, Athenienſibus tripidantibus ſuaſit Meneſtheus, Petei F. ut admitterent urbem, & acciperent benignè Tyn- G daridas: ut uni Theſeo injuriæ auctori arma inferrent, in cæteros mortales benefici eſſent, & eorum ſervatores. Hoc ipſum eventus comprobavit: nihil enim omnino victores, quam ut initiarentur, poſtulaverunt: quòd non minus quàm Herculi propinquitas ipſis cum civitate intercederet: quam obtinuerant ab Aphidno adoptati, ut à Pytio Hercules. *Plut. in Theſeo.*

Lampſacenis Alexander Magnus infeſtis armis imminebat, ob id quòd ad Perſarum Regem vel defeciſſent, vel deficere cogitarent. Miſſus ad eum fuit Anaximenes legatus, qui Philippi, & Alexandri res geſtas diligenter deſcripſit, deprecaturus pacem. Cùm Alexander conceptis verbis juraſſet, facturum ſe omnia, contra quàm ille rogaſſet: Hoc ergo, inquit, abs te, Rex, precibus contendo, ut Lampſacenorum conjuges, & liberos in ſervitutem redigas, urbem totam exſcindas, & Deorum templa exuras. His Alexander ambagibus circumventus, Lampſacenis invitus pepercit. *Pauſan. l.6.*

Sparta fœdè à terræmotu concuſſa, Rex Archidamus ſtatim ex præſenti inſequens proſpiciens diſcrimen, civeſque cer- H nens ex tectis, quæcunque chariſſima erant, egerentes: claſſicum cani tanquam adventantibus pręcepit hoſtibus, ut quam ocyſſimè armati ad ipſum concurrerent. Hoc fuit unum Spartæ ea tempeſtate ſaluti. Ilotæ enim ſervi concurrerunt undique ex agris, ut Spartiatas, qui incolumes eſſent, opprimerent: quos ubi oſtenderunt armatos, & inſtructos, in oppida ſua ſunt dilapſi, bellumque ex profeſſo fecerunt, adſcitis non paucis finitimis, ac ſimul Spartiatas adorti ſunt Meſſenii. *Plut. in Cimone.*

AMICITIÆ POLITICÆ PUBLICÆ

Prudenter conſulere.

☞ *Amicitia, & Inimicitia ſibi invicem ſuccedunt, eaq; propter ejuſdem videntur eſſe conſiderationis. Nam quia Inimicitia omniũ ejudentiſſima eſt, quando armis concurritur: fit, ut in exemplis congerendis non rarò etiam bellica quędam, quorum loca inter Stratagemata proprius eſt, occurrant.*

Contra-

A C ONTRAHENDO.

☞ *Conſule Tit. Prudentia in acquirendo Imperio.*

Thales Mileſius civibus ſuis diſſuaſit, ne fœdus cum Crœſo Rege Lydorum facerent. Quod quidem conſilium Mileto ſalutem peperit, cùm devicto Crœſo Cyrus ſocios Regis perſequeretur. *Laert. in ejus vita.*

Cùm Cyrus junior tribus, & octoginta millibus militum conſcriptis, Ciliciam invaſiſſet, fratrem Artoxerxem Imperio exuturus: Syenneſes Ciliciæ princeps accepta fide ad Cyrum acceſſit, unumque ex filiis ad eum cum idonea Cilicum manu inſtructum miſit, filium alterum clàm ad Regem Artoxerxem ire juſſit, qui nunciaret illi fratris conatus, ſe haud ſponte quidem, ſed invitum cum Cyro ſocietatem junxiſſe, benevolentia nihilominus priſtina, animoque conſtanti perſeverare, atque per occaſionem, Cyro relicto, ad partes regias tranſiturum. *Diod. l.* 14.

Quidam Alexandrum commonefaciebant, ut Græcos pro amicis, Barbaros pro hoſtibus haberet. Reſpondit: Satius eſſe, hæc virtute, atque vitio dividi. Complures enim Græcos malos eſſe, & Barbaros probos: ſicut Indos, & Arianos, Romanos etiam, & Carthaginenſes. *Stob. l.* 1.

Ageſilaus, cùm à Rege Perſarum eſſent allatæ literæ, quas B Perſes unà cum Callia Lacedęmonem perferebat, de hoſpitio, deque amicitia tractantes, non recepit, ſed juſſit illos Regi renunciare: Nihil eſſe neceſſe privatim ad ipſum literas mittere: cæterùm ſi perſpicuum foret, illum bene velle Lacedæmoniis, & Græcis, ipſum quoque illi pro viribus futurum amicum. Quòd ſi deprehenderetur inſidias tendere, ne putet, inquit, quòd me ſit habiturus amicum, etiamſi vehementer multas ab eo recipere epiſtolas. Quid hoc animo ſublimius, cui in omnibus rebus gerendis hic unicus erat ſcopus, conſulere Reipublicæ commodis? *Plut. in Lacon.*

Cùm in conventibus Amphictyonicis referrent Lacedæmonii ad conſilium, ut ab eo conſilio arcerentur civitates, quæ arma non conſociaſſent adversùs Xerxem: timens Themiſtocles, ne ſummotis à conſeſſu Theſſalis, Argivis, prætereà Thebanis, illi haberent ſemel ad nutum ſuum ſuffragia, atque ex eorum voluntate omnia gererentur: patrocinatus eſt hiſce civitatibus, & ſententias Pylagorarum circumegit docens, quæ conſortes belli fuiſſent, unam & triginta civitates eſſe, atque has magna ex parte planè exiles. Non igi- C tur ferendum, ſi excluſa à fœdere reliqua Græcia, conſilium hoc ad duarum, vel trium ampliſſimarum arbitrium civitatum redigeretur. Ex eo incurrit potiſſimùm in Lacedæmonios. Quapropter Cimonem provexerunt honoribus, quò Themiſtocli eum excitarent in rep. adverſarium. *Plut. in Themiſtocle.*

Caſſander ex Apollonia rediens, in ingentem Abderitarum cœtum incidit, qui ranarum, muriumque multitudine patrium ſolum relinquere coacti, novas ſibi ſedes quærebant. Veritus ille, ne profuga manus, deſperatione rerum, Macedoniæ quietem, ſi in eam terram irrupiſſet, ſubito acceſſu turbaret, in ſocios recepit, ictoque in id fœdere, agrum illis in Macedoniæ finibus aſſignavit. *Sab. l.* 7. *En.* 4.

Duo reguli fratres ex Thracia cum inteſtina diſcordia laborarent, alter cui Raſto fuit nomen, cum tribus millibus peditum ad Octavium, & M. Antonium ſe contulit, hujus frater Raſtupolis pari equitum numero Caſſio, & Bruto enixè favit, in campis Philippicis: cui Raſtus, poſteàquam in Philippis eſt debellatum, veniam ab Antonio, & Octavio impetravit. Crediderunt multi ſimulatam fuiſſe eorum diſcordiam, atque ex D compoſito in utriſque caſtris militaſſe, ut alterius crimini victoris meritum obſtaret *Sab. l.* 8. *En.* 6.

Cùm Sylla tribunos plebis ſuſtuliſſet, CN. Pompejus reſtituere eos plebi in animo habebat. Nihil enim pop. Rom. inſaniore cupiditate proſecutus eſt, neque ullum magiſtratum recuperare, atque eum deſideravit ardentius: ut Pompejus pro magna felicitate reputaret illius actionis occaſionem, quòd beneficium reperturum non putaret ſe aliud, hoc ſi alius præripuiſſet ſibi, quò civium repenſaret favorem. Itaque tribunos plebis populo reddidit, permiſitque, ut judicia iterùm lege transferentur ad equites. *Plut. in Pompejo.*

Theodomiro Oſtrogothorum Regi mortuo filius Theodericus Amalus ſucceſſerat. Juvenem ſumma virtute, magniſque opibus ad res in Illyrico novandas inſtructum, adeptus Zeno Imp. ad amicitiam ſuam alliciendum eſt arbitratus. Itaque ad ſe venire Conſtantinopolim juſſum, omni genere honoris excoluit; nam & inter proceres ſui Palatii retulit, & magiſtrum præſentis militiæ fecit, & filium adoptatum inſuper ſtatua equeſtri ænea ante Palatium poſita decoravit; quinetiam E Ripenſi Dacia, Mœſiæque parte donatum, in poſterum annum conſulem deſignavit. Quadriennio poſt, cùm Gothi ad extremam propter otium à bello inopiam eſſent redacti Italiam eis occupandam Zeno permiſit, ab Odoacre Herulorum Rege jam aliquot annis poſſeſſam. *Sigon. lib.* 15. *Imp. occid.*

Sub Carolo VII. Francorum Rege, cùm Angli Galliæ magnam partem ſubegiſſent, Hercembaldus Buziorum princeps, ut fidem ſuam utrique Regi probaret, è quatuor filiis duos, Joannem, & Vaſconem, quòd indole præſtanti ſpecimen virtutis militaris præberent, ad Francum duxit, oravitque ut utrum placeret, deligeret, cujus fidem ſibi jurejurando devinciret. Joannem delegit, & is maximus ſtirpis erat. Joannes Francicarum, Vaſco Anglicarum partium, acerrimi propugnatores extitere. *Æmil. lib.* 10.

Carolus Magnus nulli plures ducatus, præfecturaſque, aut ſacerdotia conceſſit, dictitans, ſibi & alios demerendos, beneficiiſque oppignorandos eſſe. *Avent. l.* 4. *Annal. Bojor.*

Alphonſus Aragonum Rex, cùm in agro Matricienſi dubitaret, utrùm Franciſcum Sfortiam, an Nicolaum Picinium in amicitiam, & ſocietatem admiſſurus eſſet (erat F autem alterum duntaxat, propter illorum inter ſe ſimultates, admiſſurus) Matricienſibus legatis Regem adeuntibus, & interrogantibus, utrum Sfortiæ, an Picinino gratulari deberent? Utroſque tanquam amicos habendos eſſe, item ab utriſque tanquam inimicis cavendum reſpondit *Antonius Panormita de reb. geſtis Alphonſi, & Æneas Sylvius de ejus dictis.*

C ONSERVANDO. SEDITIONES. DEFECTIONES Civiles ne oriantur, prohibere.

☞ *Conſule Tit. Leges malas prudenter abrogare. Item Imperium prudenter conſervare.*

Pax, harmonicæ rationi mirum in modum congruens, imperiorum, ac rerumpublicarum pręſtantiſſimus, atque optimus finis eſt. Nec aliud efficere ſunt conati veteres illi Legumlatores, cùm ſuos cives mutuis inter ſe conviviis conciliarent. Hinc Minos convivia Cretenſium, quæ ipſi ἄνδρα vocarunt: Lycurgus φειγίτια vel φιλίτια: Plato συμπόσια. Moſes σκηνοπήγια, & magnum Paſcha feſtis epulis coli juſſit. Hinc Athenienſium ἑστιάσεις in Prytaneo, tum etiam epulæ in Panathenæis, ac G Theſmophoriis: hinc Romanorum Cœnæ in Capitolio, & in publicis ſacrificiis, ad idque creati Epulones, quorum exemplo Veneti quatuor publica convivia inſtituerunt. Quinetiam legislatores Helvetiorum, mutuas illas compotationes in Zunfris, hoc eſt, Tribuum atris, uſurpari voluerunt, ut non modò cives agreſtes, ac rudes ad humanitatem, & honeſtatem: ſed etiam ab odio, vindicta, litibus, ad pacem, amorem ac benevolentiam revocarent.

Vellere aureo in Græciam advecto, cogitantibus Argonautis in patriam abire, Herculem ferunt hortatum eſſe ad res magnæ fortunæ obeundas: adegitque, ut jurejurando pollicerentur, alterum alteri, ſi opus eſſet, auxilio fore. Elegiſſe autem clariſſimum Græciæ locum ad ſtatuenda certamina, concurſuſque hominum celebrandos: idque certamen maximo deorum Jovi Olympio conſecraſſe. Cùm Argonautæ omnes in fœdus communis præſidii juraſſent, inſtituendorum cura Herculi demandata: Illum elegiſſe ajunt ad hominum conventus Eleorum regionem juxta Alpheum flumen. Unde juxta eum loca maximo Deorum ſacrata, Olympia ab eo appellantur. Cùm equorum certamen, palæſtramque inſtituiſſet, H modo certaminum ſtatuto, urbes propinquas ad Deorum ſpectacula excivit. Et gloria, famaque Herculis, exſpectatione certaminum Olympicorum vulgata, Græcorum omnium, qui clari eſſent, eò concurſus fuit. *Diod. l.* 4. *c.* 3.

Darius Rex, cùm tributum indixiſſet ſubditis, accerſitos provinciarum præfectos percontatus eſt cùm aliis de rebus, tum de tributis, eſſentne gravia? Cùm illi reſpondiſſent, eſſe mediocria: juſſit, ut ſinguli dimidium exigerent. Maluit ſuos beneficio ſibi conciliare, quàm exarmatos ſubigere. Si dimidium imperaſſet, nec quidquam remiſiſſet, latuiſſet benignitas: nunc exacta dimidians, effecit, ut omnes ſentirent beneficium. *Plut. in regum Apophth.*

Crœſus à Cyro captus, victori ſuo conſilium dedit optimũ, ut quandoquidem Perſæ natura protervi eſſent, & inopes, ne aliquando opibus elati contra Cyrum res novas molirentur, decimas Jovi omnium eorum, quæ in urbe Sardiorum locupletiſſima eſſent, voveret, & nihil ex urbe exportari ſineret. Paruit

Paruit Cyrus: ſicque factum, ut neque odium ſuorum in- A curreret, opes illis vi eripiendo, neque occaſionem rebellandi præberet. *Herod. l.* 1.

Chiorum concionator popularis Onomademus non permiſit, cùm in ſeditione fuiſſet ſuperior, ut omnes diverſæ partis urbe pellerentur: Ne, inquit, ſi ſemel ab inimicis fuerimus expediti, certamen nobis exoriatur cum amicis. *Plut. in Præcept. polit. & de Util. ex inim. capien. & Ælian. l.* 14. *Var. hiſt.*

Pericles Athenis LX. triremes ſingulis annis emittebat, magnus numerus in his civium navigabat, octo menſes æra merens, meditanſque ſimul, & diſcens navalem diſciplinam. Ad hæc mille colonos Cherſonneſum miſit, Naxum quingentos, Andrum ejus dimidium. In Thraciam mille adſcripſit Byſaltis, in Italiam alios, cùm inſtauraretur Sybaris, quos appellavere Thurios, eaque agebat, quò otioſa, & ex otio importuna turba urbem levaret, & populi ſubveniret difficultatibus, timoremque, & præſidium, ne res novas molirentur, adjungeret ſociis. *Plut. in Pericle.*

Demades, cùm Vectigalia publica haberet in manu ſua, & populus deficientibus ab Alexandro claſſem in auxilium mittere decreviſſet, ſtipendiumque juberet, ut ille præberet: Habet, B inquit, pecuniam ærarium. Confeceram enim ad congiarium, unde capturi vos ſelibras eratis. Sin mavultis eam in hæc expendi, abſumite rem familiarem. Hac ratione, cùm miſſam faceret claſſem populus, offenſam adverſus Alexandrum ejus reſtinxit. *Idem in præceptis politicis.*

Athenienſibus quibuſdam divinos honores negantibus Alexandro: Videte, ait Democles, ne dum cælum cuſtoditis, terram amittatis. Non minùs ſapienter dictum, quàm feſtivè. Qui enim potenti minora negat, majora permittit: & immodicus libertatis uſus, ſervitutis occaſio eſt. *Idem.*

Cùm perveniſſent ad Suſianam, qui ſequebantur partes Eumenis Cardiani contra Antigonum, publicam concionem indixerunt, in qua multiplex ambitio ſuborta eſt de imperio militari. Peuceſtes enim, & propter multitudinem ſociorum in pugnando, & propter prærogativam, quam ab Alexandro habebat, putabat ſeipſum eſſe præficiendum omnium imperio. At Antigonus dux Macedonum Argyraſpidum declaravit deferendam eſſe poteſtatem electionis Macedonibus, qui bello ſubegiſſent Alexandro Aſiam, & propter fortitudinem invicti permanſiſſent. Eumenes autem formidans, ne propter C mutuam diſcordiam facilè victi ſubiicerentur Antigono, conſilium dabat, ne unus Dux conſtitueretur: ſed omnes ſatrapæ, & Imperatores è multitudine præpoſiti, in aulam regiam convenientes, ſingulis diebus conſultarent publicè de iis, quæ conducerent. Alexander enim defunctus conſtitutum habebat tabernaculum, & in eo ſolium, apud quod ſacra facientes conſueverant conſeſſus habere de rebus urgentibus. Omnibus ergo judicantibus utilem eſſe ſententiam illam, conſeſſus conveniebat ſingulis diebus, tanquam civitatis cujuſdam populari Imperio adminiſtratæ. *Diod. libr.* 19.

Cùm ſociorum diſceptatio quædam poſt Lyſandri exceſſum Spartæ eſſet, perrexit ad domum Lyſandri Ageſilaus, ad conſulenda, quæ de ea erant ſcripta, hæc enim apud ſe aſſervarat Lyſander. Ibi librum etiam invenit, quem de Repub. Lyſander ſcriptum habuerat, regnum Eurytiontidis, & Agiadis eripiendum, & in medio eſſe ponendum, legendoſque Reges ex optimis: ne Herculis nepotibus, ſed iis, qui qualis Hercules fuit virtute, qua ille quoque ad divinos honores aſpiravit, eſſent cenſiti, præmium illud deferretur. Hanc ora- D tionem inſtitit in lucem pro concione proferre, ac Lyſandrum aperire, qui in operto fuiſſet civis, ſimul ad traducendum Lyſandri amicos. Verùm Cratidem (in Vitis, Lacratidam appellat) ferunt Principem ea tempeſtate Ephororum, verentem, ſi lecta eſſet oratio, ne impelleret cives, retinuiſſe Ageſilaum, monuiſſeque, ne refoderet Lyſandrum, ſed orationem etiam cum eo aſtutè, & artificiosè concinnatam defoderet. *Plut. in Apophth.*

Fuit Romæ in Comitio foſſa, quam Mundum vocant, in quam orbicularem, Urbe condita, omnium primitias (quibus lege ut honeſtis, natura ut neceſſariis utebantur) coniici juſſit Romulus. Mox item terræ portiunculam, unde quis eſſet profectus, conferri: credo ut ſic in civitatis unius, ac patriæ populum faciliùs coaleſcerent animi. *Cælius l.* 1. *c.* 6. *A L.*

Romani, ſi quando Tribuni novis factionibus Remp. turbarent, bello aliquo ſeu de induſtria ſeu caſu excitato, parabant verſare cives, & deſtinere, ne domi reſides Tribunorum plebis intenderent concionibus, & ſeditionibus. Quo remedio ferè ſemper utebantur Medicorum more ad motus turbulentos ex civitate propellendos. *Plut. in Camillo.* E

Præ cæteris Numæ inſtitutis commendatur populi per artificia centuriatio. Nam civitas cùm ex duabus conſtare gentibus videretur, Romanorum ſcilicet, & Sabinorum, neque ullo modo coaleſcere in unum ſuſtineret, ſed aſſiduis partium contentionibus conflictaretur: reputans corpora rigida, & quæ per ſe commiſcentur ægrè, temperari mutuò comminuta, & conciſa, atque exiguis portionibus coire: intereſſe putavit, ut multitudinem in plures diſſecaret partes, utque coniiceret eos ex his in alia diſcrimina, atque ita primùm ingens illud diſſidium obliteraret diſtractum in minuta. Diviſit autem civitatem per artes tibicinum, aurificum, fabrorum, tinctorum, ſutorum, coriariorum, ærariorum, figulorum. Reliquas artes in unam coegit, fecitque ex omnibus corpus unum: collegiaque, & concilia, atque ſacra cuique ſectæ decentia attribuit. Ita primùm ſuſtulit ex urbe factiones, ne hi Sabini, illi Romani, hi Tatii, illi haberentur, & vocarentur Romuli cives. Atque hæc diſtractio conſenſus, & temperamentum eſt cum omnibus omnium facta. *Plut. in Numa.*

Quos Deos vi ſua Romani veteres obeſſe ſunt arbitrati, in urbem diutiùs non admiſere. Hac de cauſa ædem Bellonæ, F & Martis extra Capenam, quarto ab urbe milliario conſtructam ferunt, ut à civium mentibus inteſtinas clades, ardoremque conferendæ manus à civili cruore ad hoſtiles pugnas avocarent: utque domi jugi concordia quietè viverent, illos veluti fomenta præliorum intra urbem eſſe noluere. *Alexander l.* 2. *c.* 4.

Tarquinius Superbus, ne ſuum ducem Latini agnoſcerent, neve diſcreta inſignia haberent, ex Latinis, Romaniſque faſcibus manipulos miſcuit, ſinguloſque ex binis fecit. *Alex. l.* 1. *c.* 27.

Bello Africano, Carthagine arcta laborante annona, Hiero ex Sicilia frumentum, & alia auxilia Carthaginenſibus miſit. Ægrè ferebat callidiſſimus Rex, Punicum nomen extinctum iri, ratus Carthaginenſium opes Romanis ſuſpectas id præſtare, ut ipſe charior ſemper pop. Rom. eſſet, quàm ſi ſublato omni æmulationis ſtudio, inſulæ ſecuritas ſe, & Syracuſanos Romanis contemptibiles redderet. Quin, & Romani ipſi, ut Polybius ſcribit, nihil ad ſociam urbem ſublevandam, per id tempus, ceſſavere. *Sab. lib.* 9. *Enn.* 4. G

Tarquinius cùm M. Craſſum hominem nobilem, maximis divitiis, ſumma potentia inter ſocios conjurationis Catilinianæ nominaſſet, quia in tali tempore, tametſi verum eſſet indicium tanta vis hominis magis lenienda erat, quàm exagitanda, ita à Senatu decretum eſt, Tarquinii indicium falſum videri: eumque placuit in vinculis retinendum, neque ampliùs poteſtatem faciendam, niſi de eo indicaret, cujus conſilio tantam calumniam mentitus eſſet. *P. Ærod. ex Cicerone, Saluſtio, Dione l.* 37.

Perfecerant Cælii, Poſthumii, Sempronii, inter Patritios nobiliſſimi adoleſcentes, ne à Tribunis plebis lex Agraria promulgaretur. Hoc adeò plebs indignè tulit, ut iis die dicta à Tribunis, ac lite bonis æſtimata, ſi judicio Senatus obſtitiſſet vi aliquid molitura videretur. Itaque quando capitis non inquireretur, nec vitæ, ſed pecuniæ duntaxat detrimentum in judicio verſabatur: Senatui viſum eſt, permitti judicium ſeditionis vitandæ cauſa, ut paucorum damnatione furor plebis componeretur. Ergo damnati ſunt abſentes. Sed cùm reorum bona ſub haſta væniſſent, ea patres redemere à licitatoribus, damnatiſque reſtituenda eſſe cenſuerunt. H *Dion. Halicarn. l.* 10.

M. Cato cùm populum à Cæſare animadverteret in Catilinę conjuratione ſolicitari, atque ad novandas res præcipitem eſſe: induxit Senatum, ut inopi plebi frumenti congiarium daret. Eo munere populares procellæ conquieverunt, & fuerunt motus compreſſi. *Plut. in præcept. polit.*

Regnum Ægypti victor C. Jul. Cæſar, Ptolemæi Regis Ægypti uxori Cleopatræ, fratrique ejus minori permiſit: veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præſidem nacta, novarum rerum materia eſſet. *Suet.*

Idem Dictator, occiſo Pompejo, cùm ſcrinia litterarum offendiſſet, & dehinc in Africa Scipionis, ne legere quidem voluit, ſed incendio tradidit non viſas, ne majora ſuſcitarentur ex literis lectis bella. *Plut.*

C. Pompejus, interfecto Sertorio, Perpennam ad ſe pertractum occidit, magna ratione, & ſalubri toti Reip. conſilio. Siquidem Perpenna cum literas Sertorii in poteſtate haberet, epiſto-

epiſtolas protulit potentiſſimorum in urbe virorum, qui præ- A ſentem rerum ſtatum movere, & verſare rempub. cupientes, Sertorium acciebant in Italiam. Quæ timens Pompejus, ne majora, quàm reſtincta erant, excitarent bella, Perpennam necavit, & literas ne inſpectas quidem concremavit. *Plut. in Pompejo, & Apopb.*

Auguſtus Cæſar, cùm quodam tempore tres partes populi, conſentiente Senatu, tria ei obtuliſſent nomina, Quirini, Cæſaris, & Auguſti, ne unum eligendo, alias offenderet partes, primò Quirinus eſt dictus inde Cæſar, poſt in nomine permanſit Auguſti. Unde eum Virgilius omnibus iſtis appellat nominibus. *Servius in 3. Georg. ab initio.*

Tuiſco primus Rex Germanorum, nulli certum modum agri, aut fines proprios habere permiſit. Sed magiſtratus, ac principes in annos ſingulos gentibus, cognationibuſque hominum, qui unà coierunt, quantum eis, & quo loco viſum erat, attribuebant agri, atque anno poſt, aliò tranſire cogebant, ne latos fines parare ſtuderent, potentioreſque humiliores poſſeſſionibus expellerent, neve accuratiùs ad frigora, atque æſtus vitandos ædificarent, ne qua oriretur opum cupiditas, qua ex re factiones, & diſ- B ſenſiones naſcerentur, ut animi æquitate plebem continerent, cùm ſuas quiſque opes cum potentiſſimis æquari videret. *Avent. l. 1. Annalium.*

Neapolitani Reges ſingulis annis, ſtatis quibuſdam diebus, nobilibus epulum ad ædem D. Mariæ coronatæ parabant, invitatis etiam nobiliſſimis matronis, ut animi civium inter ſe reconciliarentur. *Pont. c. 1. de Continentia.*

Veneti id maximè providerunt, ut princeps ipſe ab univerſa civitate in primis amaretur. Inſtitutum igitur, ut quater in ſingulos annos patricios convivio publico exciperet, apparatu minimè invidioſo, intra palatium ſuum. Primum quarta menſis Aprilis luce divo Iſidoro ſacra: alterum Aſcenſionis Dominicæ die, quo tempore nundinæ frequentes habentur, cùm princeps Bucentauro navi, deſponſato per annulum aureum mari, revectus, eos, qui illum deduxerunt, patricios convivio excipit. Junio menſe tertium celebratur convivium, quo die Viti, & Modeſti feſtus colitur dies. Quartum divi Stephani luce ſacra, choreis, & ſaltationibus exhibitis, & reliquis modeſtioribus ludis in præſentis temporis gratiam. *Egnatius l. 2. c. 1.*

Henricus Dandulus (qui poſteà Dux in Aurei Maſtropetri C locum ſuffectus eſt, & Byzantinum Imperium cum Veneta claſſe, & Francorum auxilio de Græcorum manibus eripuit) potuit Imperator propter ſingularem ſuam virtutem Conſtantinopolitanus creari, omnium ſententiis in eum inclinantibus: niſi Pantaleo Barbus, unus ex iis, qui aderant, patritius Venetus, idipſum fieri diſſuaſiſſet. Movit, ut opinor, Pantaleonis fortaſſis animum, quòd vereretur ne nimia hæc fortunæ felicitas, Veneto nomini graviùs in poſterum officeret, Græca gente, pluſquam credi poſſit in Latinum nomen infeſtiore. *Egnat. l. 6. c. 2.*

Menſe Junio anni MCCCCXCV. Carolus IIX. Rex Galliæ parto Neapolitano regno, domum repetiturus, certum hominem ad Senatum Venetum miſit, qui ei diceret, ſuum Regem nulli unquam homini ſupplicaviſſe: ſcire tantum velle, utrùm civitatis amico in ſe, an hoſtili animo eſſet. Ad ea princeps ita reſpondit: Prudentum eſſe hominum, planèque ſapientum, aliorum interdum voluntati ſe permittere, aliorum opem poſcere, precari: illud in ipſo eſſe, amicuſne, an inimicus reipublicæ velit eſſe. *Bemb. l. 2. Venetæ hiſt.*

Moriens Ludovicus XII. Galliæ Rex, ex Anna uxore, quæ D Franciſci citerioris Britanniæ reguli filia, & vinca hæres fuit, duas tantùm filias reliquit, Claudiam, & Renatam. Claudia Franciſco Regi nupſit; Renata autem ſalubri Procerum Gallorum conſilio extra Galliæ fines, in Italiaque præſertim, longè ſplendidiſſimè collocanda cenſebatur, ne ſi alicui Galliæ procerum potentiſſimo jungeretur, quòd dimidiam maternæ hæreditatis partem ſecum traheret, lis oriri poſſet cum aliis liberis Franciſci Regis ex Claudia ſuſceptis, tum Galliæ regno maximè damnoſa: timebant enim, ne inde inteſtini belli ſemina provenirent. Ea itaque Herculi Duci Ferrarienſi in matrimonium data eſt. *Jovius in Alphonſi Ateſtini vita.*

In Zoſalenſium Æthiopum Regis aula, Regum filii, quos habet ſtipendiarios, nutriuntur: tum ut ea educatione Regem debita fide, & amore proſequi ſtudeant, tum ut illis obſidibus, Rex eorum parentes in officio, & fide contineat. Eſt maximo ſemper exercitu conſtipatus, quamvis ſumma pax, & otium cum omnibus finitimis nationibus ſit illi firmo fœdere conſti- E tutum. Tunc enim cenſet, ſibi nullum à bello fore periculum, cùm in pace bellum ſemper Regum fortunis impendere ſuſpicatus fuerit. *Oſorius l. rerum Em.*

Fridericus III. Saxoniæ Dux, Elector, Arces munire, pecunias congerere, ſuperſedit: ne his ceu calcaribus ſtimulatus, leves injurias bello perſequi cogeretur. Ferendo, & diſſimulando reſpublicas rectiùs, quàm inferendo, & ulciſcendo adminiſtrari à Chriſtiano principe judicans. *Joann. Agricala in proverb. German. Sut macbt mut.*

Reconciliando. Seditiones Politicas tollere.

☞ *Conſule Tit. Æs alienum prudenter diſſolvere.*

Cretenſes in crebris ſucceſſionibus, & bellis civilibus, ſi quando ingruerent hoſtes externi, juncta inter ſe pace, arma ſociaverunt. *Plut. de Pietate erga fratres.*

Solon inter cæteras leges, hanc quoque ſcripſit: Si ob diſcordiam, diſſenſionemque ſeditio, atque diſceſſio populi in duas partes fieret, & ob eam cauſam irritatis animis utrimque arma caperentur: tum qui in eo tempore non alterutri patri ſe adjunxerit, ſed ſolitarius, ſeparatuſque à communi malo civi- F tatis ſeceſſerit: is domo, patria, fortuniſque omnibus careto, exul, & extorris eſto. Legis ſcopus eſt, non augere ſeditionem, ſed bonorum virorum interventu, qui ſeſe alterutri parti adjunxerint, compeſcere ſeditionem. Quod non fieret, ſi nulli parti ſe adjungerent. Nam qui neutri parti favet, neutrius amicus, quin potiùs omnium hoſtis judicatur. At qui uni alicui parti ſe favere ſimulat, hac ſimulatione poteſt ſuæ partis cives ad mitiorem ſententiam traducere: & ſi ex alia quoque parte vir aliquis bonus ejuſdem ſtudii reperiatur, facilè ſeditio ipſa componetur *Gellius l. 2. c. 12. Noct. Att. & Plut. in Solone.*

Poſtquam exules reverſi è Piræo, Duce Thraſybulo, urbem ejectis Tyrannis recuperarunt: id in primis Athenienſibus curę fuit, ut nocentiſſimi quique de medio tollerentur. In reliquos ſanè ſancita lex eſt περὶ ἀμνηστίας ſive, περὶ τοῦ μὴ μνησικακεῖν. Deinde quantum ad eos attinet, quorum à Tyrannis pecuniæ publicatæ eſſent, iis ager publicè datus eſt. Sed & poſtremò de iis pecuniis (centum erant talenta) quæri placuit, quas ii mutuati eſſent à Lacedæmoniis, qui dum ſervire mallent, quàm ſua perdere, in urbe remanſerant. Ergo indicta con- G cione de reddenda pecunia, cum multis æquum eſſe videretur, ut hi Lacedæmoniis ſatisfacerent, qui mutuò ſumpſiſſent, non ut in communem utilitatem uterentur, ſed qui bellum gererent adversùs Rempubl. quæ ſanè tum in Piræo fuit, non Athenis: populus tamen ſapientiſſimè ſcivit (cùm vitandæ novæ ſeditionis cauſa, tum quia certum eſſet, ſi non ab his aut illis, at profectò ab Athenienſibus, atque nomine publico ſumptam eſſe pecuniam) ut id æs omnium commune eſſet. *Iſocrates in Areopagitico, Xenophon. l. 2. Æmilius Probus in Thraſybulo, & Juſtinus l. 10.*

Heraclitus Philoſophus in ſeditione rogâtus, ut apud populum ſententiam diceret, quo pacto civitas redigi poſſet in concordiam, conſcenſo ſuggeſtu, popoſcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inſperſit, mox de glechne admiſcuit (id eſt, vel pulegii ſylveſtris, vel leguminis genus) dein epoto calice, diſceſſit, nec verbum addidit. Hoc pacto innuens, ita demum civitatem carituram ſeditionibus, ſi repudiatis deliciis, aſſueſceret parvo contenti eſſe. Et hìc Heraclitus ſuo reſpondit nomini, nam σκοτεινὸς dictus eſt, id eſt, tenebricoſus. *Eraſm. l. 8. Apoph.*

Cùm Alexander Amyntæ Macedonum Regis F. Perſa- H rum legatos à Megabyzo Darii præfecto miſſos in convivio interfeciſſet, cùmque magna horum virorum inter Perſas inquiſitio fieret: Alexander illos prudenter occupavit, tum multa aliis pecunia, tum ſorore ſua, nomine Gygæa, Bubari data, viro Perſæ, uni ex inquiſitoribus interfectorum. Ita horum Perſarum cædes deprehenſa, ſed ſilentio ſuppreſſa eſt. *Herod. l. 5.*

Mardonius poſt rem malè geſtam à Xerxe apud Salaminem, veritus ne plecteretur, quòd ad inferendum Gręcis bellum Regem incitaſſet, ut Xerxem aliqua ratione placaret, ſuaſit illi, ut claſſe omiſſa, pedeſtri exercitu Peloponneſum invaderet: aut ſi domum redire mallet, ſibi triginta myriades delectorum militum daret, quibus pollicebatur ſe ſubacturum Græciam. Neque enim vires Perſarum in navibus ſitas, ſed in exercitu terreſtri. Xerxes poſterius conſilium amplexus eſt: & Mardonius pro pœna, quam merebatur, ſummus Imperator crea- A tus eſt. *Herod. l. 8.*

Venit aliquando Leo Byzantius cum Athenienſibus in civili diſcordia acturus. Quem ut conſpexerunt puſillum, deriſerunt: Quid ſi uxorem meam, inquit, videretis, quæ vix ad genu meum pertingit? Inde majore excitato riſu: Atqui nos, inquit, licèt ita breves, cùm inter nos rixamur, urbs Byzantinorum non capit. *Plutarch. in Polit.*

Aratus Sicyonius, ejecto Nicocle tyranno accepit dono à Rege Ptolemæo viginti quatuor talenta: accepta egenis civibus ſuis, cùm in alia, tum ad redimendos captivos dilargitus eſt. Quia verò placari non poterant exules, qui prædiorum ſuorum poſſeſſores fatigabant, venit civitas in periculum extremum exitii. Quare unicam ſpem videns Ptolemæi liberalitatem, perrexit navigare, & rogare Regem, ut argento ſibi ad conciliandum civitatem ſuam ſubveniret. Magnis igitur periculis in Ægyptum navigans, à Rege accepit dono civitati ſuæ centum quinquaginta talenta, ex quibus quadraginta ſtatim ſecum auferens, in Poleponneſum navigavit. Reliqua per portiones diviſa miſit deinceps ei Rex B minutatim. Erat igitur magnificum, vel tantum civilibus argenti paraſſe, cujus exigua portione alii Duces, & concionatores accepta, redempti à Regibus jus violabant, addicebant ſe obnoxios, patriaſque ſuas propinabant. Enim verò magnificentior hac pecunia fuit comparata pauperibus cum divitibus reconciliatio, concordiaque, populo autem univerſo ſalus, & ſecuritas. Creatus ad exulum querelas componendas diſceptator, cum libera prorſus poteſtate, & arbitrio, non ſuſcepit id ſolus, ſed allegit ſibi quindecim cives, quibuſcum multo labore, & ingenti negotio confecit civibus inter ſe, concinnavitque amicitiam, atque concordiam. *Idem in Arat.*

Galli, priuſquam Alpes ſuperaſſent, & inſiderent eam Italiæ oram, quam nunc tenent, fœda agitati, & acri ſeditione, ad inteſtinum exarſerunt bellum. Hic fœminæ ſe inter infeſtas acies intulerunt, ac ſuſceptam controverſiam tam æquabili diremerunt arbitrio, ut mirifico amicitiæ vinculo, & publicè, & privatim omnes conglutinarentur. Hinc mos inolevit, ut pacis, & belli cum fœminis conſilia inirent: ſi quæ cum ſociis quæſtiones inciderent, earum arbitrio has C committerent. Atque in fœdere, quod cum Annibale icerunt, hoc inſeruerunt caput: Si quid de Carthaginenſibus querantur Galli, Carthaginenſium in Hiſpania præfecti, & duces diſceptanto. Sin Carthaginenſes de Gallis, Gallorum conjuges. *Idem de Virt. mul.*

Herſiliæ conſilio, quæ Romulo nupſit, vel, ut alii ajunt, Hoſtilio, Sabinæ prælium diremerunt, & patres maritis conciliarunt: Ejuſque conſilio inter Sabinas agitatum ferunt, virorum permiſſu, ad Tatium Regem, & parentes, aliquot fœminas ex ſuis popularibus mitterent, quæ ſupplicitet de pace cum his agerent. Miſſas itaque triginta numero matronas, à quarum nominibus ſint totidem in urbe Curiæ nominatæ. Alii quingentas habent. *Sab. l. 3. En. 2.*

Romulus ad Capræ paludem ſacra obiens, orta tempeſtate, incertum qua ſorte, diſparuit. Plebe in concionem reverſa, Rex requiſitus, & deſideratus eſt. At non permiſere principes, de eo ut inquirerent curioſiùs: ſed ut omnes colerent Romulum, juſſere, ut ad ſuperos raptum, qui ex bono Rege volens, propitiuſque ipſos ſoſpitaret. Vulgus eo audito, perfuſum gaudio, & bona ſpe, cùm pacem precibus popoſciſſet, D domum ſe recepit. Fuere autem nonnulli, qui factum in diſquiſitionem vocarent acerbè, & invidioſè, patreſque percellerent, & infamia aſpergerent, quaſi ridicula illi populo perſuaderent, cùm Regem ipſi ſuſtuliſſent, exoſi eum ob regiam potentiam. Ibi vir inter patres nobiliſſimus, & ſanctiſſimus, Romuloque fidus, ac familiaris, ex iis, qui ex Alba cum eo commigraverant, Romam, progreſſus in forum Julius Poculus, & tactis ſacris in concione juratus dixit, Romulum iter facienti ſibi auguſta ſpecie, & humana majore, armis fulgentibus, & coruſcantibus ornatum obvium ſe dediſſe, ad aſpectum ſe ejus, horrore perfuſum, dixiſſe: Quo noſtro merito, Rex, quave de cauſa injuſtis nos, & gravibus calumniis ſubieciſti, totamque civitatem in immenſo deſtituiſti luctu? Reſpondiſſe illum: Diis viſum eſt, Procule, poſtquam tam diù inter mortales viximus, atque urbem ad ſummam ſpem condidimus Imperii, & gloriæ, ut inter cæleſtes, ex quibus eramus, reciperemur. Vale itaque, & nuncia Romanis, ut temperantiam, & rem militarent colant: iis artibus futuram caput orbis Romam. Ego vobis propitius Deus adero Quirinus. Hæc nuncianti, propter vitæ innocentiam, & jusjurandum fides fuit. At enim ſimul divinum quendam E quaſi furorem animos vulgi ferunt corripuiſſe, neminem negaſſe: ſed ſuſpicione depoſita omni, & calumniis, pacem Quirini precibus expoſciſſe, Deumque eum conſultaviſſe. *Plut. in Romulo.*

Cùm plebs Romana ære alieno preſſa in montem Sacrum ſeceſſiſſet, juxta ripam Anienis: patres ex majoribus natu moderatiſſimum quemque, & maximè popularem miſerunt ad plebem Princeps legationis fuit Menenius Agrippa. Hic partim obſecrans, partim Senatum defendens, in extrema oratione ad figuram pervulgatam fabulæ delapſus eſt. Nam omnes hominis partes conjuraſſe ait contra ventrem, queſtas ſolum ignavum in homine, & immunem quieſcere, omniaque illius quæri aviditati ingenti ſuo labore, & miniſterio: ventrem verò ſtultitiam earum deriſiſſe, ignorantium recipere quidem alimentum intra ſe omne, ſed reddere id ex ſe, & diſtribuere in alias. Eadem, inquit, ratio, Quirites, patrum eſt vobiſcum; nam rectè, atque ordine deliberata apud eos conſilia, cœptaque, omnibus vobis afferunt, & diſpertiunt utilitatem, atque fructum. In concordiam deinde conceſſum eſt, poſtula- F veruntque à Senatu, & obtinuerunt, ut quinque viri crearentur, quibus auxilii latio eſſet, qui nunc Tribuni plebis vocantur. Primos creaverunt, quos ſeditionis auctores habuerant, Junium Brutum, & Sicinium Vellutum. Livius habet C. Licinium, & L. Albinum. Civitate reconciliata, plebs conteſtim arma cepit, & obnixè imperata ad bellum fecit. *Plut. in Coriolano, & Valer. Max. l. 8. c. 9.*

M. Coriolano infeſtis Volſcorum ſignis Romam properante, & Legatos omnes, etiam Pontifices pacem petentes averſante. Mulieres præſenti periculo perculſæ templa agminibus compleverant: Deorumque ſimulachris cum lachrymis obvolutæ, pacem precabantur. Ibi Valeria Publicolæ ſoror, fœmina ſingulari prudentia, cæteras matronas hortata eſt, ut Veturiam Coriolani matrem, & Volumniam uxorem unà omnes adirent, eaſque precibus compellerent, ut in caſtra ad Martium contenderent, urbis excidium deprecaturæ. *Sab. l. 9. En. 2.* Veturiam matrem, & uxorem Volumniam, cæteraſque matronas Romanas in caſtra egreſſas, ut vidit Marius, victus animo properè illis occurrit, ac primùm matrem perdiù oſculatus, inde uxorem, ac libertos nullum modum la- G chrymandi, & complectendi eos fecit. Mater ex precibus in iram verſa, ait: Sine, ut priuſquam complexum accipiam, ſciam an ad hoſtem, an ad filium venerim, captivane, an mater in caſtris tuis ſim? In hoc me longa vita, & infelix ſenecta traxit, ut exulem deinde te viderem? Potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? Niſi te peperiſſem, Roma non oppugnaretur: multaque inſuper addidit complorando, quibus & uxoris, ac parvulorum fletibus motus, matrem complexus: Expugnaſti (inquit) & viciſti iram meam patria: precibus hujus admonitus, cujus utero conceptus, te venia. Nocteque elapſa Volſcos reduxit. *Val. Max. l. 5. c. 4. Livius l. 2. Dec. 1. Polyæn. l. 8. Plut. in Coriolano.*

Captis Veiis dictator Fur. Camillus auctor fuit, ut decima Vejentanæ prædæ, quam pro victoria voverat, Apollini perſolveretur Pontificum decreto edictum, ut quicunque ex ea præda attigiſſet, ſe, domumque ſuam ſolveret religione, decimam partem eorum, quæ bello capta eſſent, ad domum Apollini mittendum, in publicum conferret. Avertit ea res Multitudinis ſtudium à Camillo, materiamque poſteà præbuit inimicis illius ad populum criminandi. H Ad quam invidiam eximendam Pontifices Camilli juſſu, & patrum adhibito, omnem Vejetanam prædam cum muris, & agro æſtimarunt, quanti ſcilicet incolumes adhuc Veii æſtimari potuiſſent: tantumque eſt pecuniarum ex publico depromptum, ut decimam rerum omnium partem exæquaret. *Sab. l. 9. En. 3.*

Cùm Romani graviter ferrent Tuſculanos Volſcis in bello contra ſe faviſſe, manſiſſeque aliquot milites publico conſilio: mandarunt Furio Camillo bellum, ut Tuſculanos tanquam fœdifragos expugnaret, puniretque. Accepto igitur exercitu Camillus, ac rectà Tuſculum pergens, cùm jam Tuſculanorum fines intraſſet, non demigrarunt ex propinquis itineri locis, non cultus agrorum intermiſſus: ac patentibus portis urbis, togati obviàm frequentes Imperatoribus Romanis præceſſere, commeatus exercitui comiter in caſtra ex urbe, & ex agris devehitur. Camillus caſtris ante portam poſitis, eademne forma pacis, quæ in agris oſtentaretur, etiam intra mœnia eſſe, ſcire cupiens, ingreſſus urbis ubi patentes januas,

&

& tabernis apertis propoſita omnia in medio vidit: intentoſ- A que opifices ſuò quemque operi, & ludos literarum ſtrepere diſcentium vocibus, ac repletas ſemitas inter vulgus aliud puerorum, & mulierum huc, atque illuc euntium, qua quemque ſuorum uſuum cauſæ ferrent: nihil uſquam non pavidis modò, ſed ne mirantibus quidem ſimile circumſpiciebat: omnia inquirens oculis, ubinam bellum fuiſſet, adeò nec amotæ rei uſquam, nec oblatæ ad tempus veſtigium ullum erat, ſed ita omnia conſtanti tranquilla pace, ut eò vix fama belli perlata videri poſſet. Victus igitur patientia hoſtium Camillus, Senatum totum vocari juſſit: Soli adhuc, inquit, Tuſculani, vera arma, veraſque vires, quibus ab ira Romanorum veſtra tutaremini, inveniſtis. Ite Romam ad Senatum, æſtimabunt Patres, utrum plus ante pœna, an nunc veniæ meriti ſitis, non præripiam gratiam publici beneficii: deprecandi poteſtatem à me habueritis, precibus eventum veſtris Senatus, qui videbitur, dabit. Cùm igitur Tuſculani Romam iviſſent, inque Senatum admiſſi pauca, quæ ad hoc pertinere videbantur, dixiſſent, tum à Senatu pacem, nec multò poſt civitatem etiam impetraverunt. *Livius Dec.1. l.6.*

B Tib. Gracchus Tribunus plebis Legem Agrariam protulerat, tanto populi aſſenſu, ut tolli Lex ſine urbis, & Imperii concuſſione non poſſet. Providit in extremis caſibus Senatus, & ipſum quidem Tribunum capitali ſupplicio affecit, & agrum ſecundùm legem pro virilibus portionibus inter cives diſtribui paſſus eſt. Sic auctore extincto, lege ſervata, cauſam tumultus extinxit, diverſiſque modis civili diſcordiæ & in præſens, & in poſterum occurrit. *Petrarcha.*

Herodes Judæorum Rex, tertiam tributorum partem remiſit regni ſui ſubditis, prætextu quidem, ut poſt ſterilitatem ſe reficerent, re autem vera ut placaret eorum animos, offenſos Regis operibus, qui templa Cæſari erigeret, & in gratiam Roman. omnia faceret, quæ videbantur ad religionis, & bonorum morum perniciem tendere. *Joſeph. lib.*15. *c.*13. *Antiq.*

Necatis Catilinæ conjuratis, & C. Jul. Cæſare ob crimina, & calumnias in Senatu jactatas ad populum confugiente, multaque ægrotantia, & putrida civitatis membra conciente, atque ad ſe trahente: timens M. Cato auctor fuit Senatui, ut inopem, & turbulentam multitudinem C frumenti congiario deliniret. In quam rem etſi impenderetur anno trecenties H-S. hac planè benignitate, & munificentia, tamen non ſunt minæ illæ diſcuſſæ. *Plut. in Catone minore.*

Auguſtus, cùm juvenes nobiles, ac dignitate claros inter ſe tumultuantes vellet compeſcere, nec auſcultarent illi, ſed tumultuari pergerent: Audite, inquit, juvenes ſenem, quem juvenem ſenes audierunt. Auguſtus enim adoleſcens ad Rempublicam pervenit, ſummaque fuit auctoritate. Hac ſola voce illos coercuit, nec aliud ſupplicium ob concitatum tumultum exegit. *Idem in Rom. Apoph.* ☞ *Vide etiam ſuprà. Inſidiatores prudenter circumvenire.*

Interfecto Cajo Imp. cùm Germani milites cædem Imper. vindicare cuperent, & ſtrictis gladiis theatrum invaſiſſent, omnes interfecturi: Aruntius homo gratioſus, qui vocalis erat, utpote præco rerum vænalium, paraveratque ſibi ex eo quæſtu divitias ingentes cum pari potentia, theatrum ingreditur habitu quàm maximè ad luctum compoſito. Quamvis enim infenſiſſimus eſſet Cajo, tamen urgente præſenti diſcrimine ad diſſimulandam lætitiam, præferens inſignia mœroris D omnia, quibus uti mos eſt in chariſſimorum deſiderio, nunciat ejus mortem, non paſſus multitudinem diutiùs ignorare, quæ acciderant. Deinde cœpit revocare Germanorum impetum, ſimulque Tribuni jubebant gladios recondere, ſignificantes Imperatoris interitum. Quæ quidem certiſſima ſalus fuit conſtipatæ in theatro multitudinis, & eorum qui quomodocunque inciderent in Germanos: qui ſi aliquam ſpem incolumitatis Imperatoris habuiſſent, à nullo abſtinuiſſent maleficio: adeò illum diligebant, ut ſuarum animarum jactura redemptam ſalutem ejus cuperent, nullo reſpectu calamitatis Reip. Intereà Senatus in curiam convenit, populuſque in comitium confluens, trucidatores Caii quærebat, & is quidem ſeriò: Senatus verò tantum in ſpeciem. Cùmque Valerius Aſiaticus vir conſularis progreſſus eſſet ad tumultantes, & indignantes latere interfectores Cæſaris, multis cum rogantibus, Quiſnam eſſet ejus cædis auctor? Utinam ego, inquit. Conſules autem edictum propoſuerunt, in quo continebatur Caii accuſatio, jubentes ut domum redirent, tam populus quàm milites, populo quidem magnam relaxationem pollicendo, militibus verò præmia, ſi modò nihil turbarent, & abſtinerent ab injuriis: nam metus erat, ne exaſperati clade aliqua civitatem afficerent, neve ad rapinas verterentur, & ſacrilegia. *Joſeph. l.*19. *c.*1. E

Claudius Cæſar, Imperio ſtabilito, nihil antiquius duxit quàm id biduum, quo de mutando Reip. ſtatu hæſitatum erat, à Coſſ. & Senatu veterem libertatem aſſerturis, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum, dictorumque in eo veniam, & oblivionem in perpetuum ſanxit, ac præſtitit: Tribunis modò, ac centurionibus paucis è conjuratorum in Cajum numero interemptis, exempli ſimul cauſa, & quòd ſuam quoque cædem depopoſciſſe cognoverat. *Suet.*

Seditionem Romæ inter plebem, ac milites excitatam, in qua permultum ſanguinis effuſum eſt, ſenior Pupienus Imperator, non oratione, non Imperii majeſtate frænare potuit: quin ſaxis quoque ipſemet petitus eſt. Quamprimùm autem infantulum Gordianum ſeditioſis oſtendit, virtutem, meritaque, ac mortem avi, & patris, ſupplex populo, ac militibus cõmemorans, omnes ſtatim arma abjecerunt. *Fulg. l.*8. *cap.*10.

Scorio, Dacorum Dux, cùm ſciret diſſociatum quidem armis civilibus populum Roman. non tamen occaſione inde arrepta laceſſendum, exſtimulandumve arbitrabatur: quan- F quam imperita vulgi temeritas non deeſſet, multa, & præclara ſubinde minantis: quoniam velut ex ſpecula proſpectans, conciperet, poſſe obtingere, ut bello externo ingruente domeſtica reſtinguerentur incendia, & voluntatum coalitu in idem tendentium, funeſtior peregrinis infligeretur clades: Populariuin verò animos lepidè repreſſit, reprehenditque. Canes ſiquidem duos ipſis inſpectantibus commiſit, iiſque mox acriùs, ac perinimiciter compugnantibus lupum ingeſſit: eum verò illi, omiſſa protinus inter ſe ira, ut communem hoſtem alacriter invadentes confecere. Quo exemplo ingenii peſpicacis Dux, & conjectandis rebus ſolertiſſimi, ab impetu Romanis profuturo barbaros inhibuit. Quibus id propè ſolemne ſemper fuit, ut bellum externum diſcordia excitaret inteſtina: rurſumque avertere hoc hoſtili malo cervicibus imminente. *Cæl. l.*17. *c.*25. *A. L.*

In Niceno Conc. cùm multi Epiſcopi loco ſententiæ indignas finitimorum Epiſcoporum criminationes deferrent, ac libellis prodendis cauſas ab eo cognoſci poſtularent, Conſtantinus Magnus libellis in ſinum ſine ulla lectione conjectis, inquit: Deus vos Sacerdotes conſti- G tuit, & poteſtate de nobis judicandi affecit, & ideò nos rectè judicamur à vobis, vos autem nefas eſt ab hominibus judicari. Quare Dei ſolius inter vos judicium expectate, & veſtra jurgia, quæcunque ſunt, ad illud divinum examen reſervate. Ego enim, ſi Epiſcopum delinquentem viderem, non ſolùm à judicando abſtinerem, ſed veſte etiam mea contegerem, quoad poſſem. Quòd verò inſtat, propoſitam ſanctæ Trinitatis cauſam, ſine ulla animorum ſimultate, tranſigite. Atque his dictis ſimul omnes delationum commentarios juſſit exuri: *Sig. l.*13. *Imp. occ.*

Cùm Theodoſius Imp. Antiochenis graviter ſuccenſeret, eò quòd tributum perſolvere nollent, & ſeditione mota ſtatuam Placillæ uxoris multis contumeliis affeciſſent: plebs furore in pœnitentiam converſo, publicis ſupplicationibus carmina quædam luctuoſa, & ad commiſerationem movendam idonea, numeroſo concentu cantavit: ſuumque Epiſcopum D. Flavianum, qui pro eis deprecaretur, ad Imperatorem miſit. Is arte quadam adoleſcentulos, qui ad Imperatoris menſam canere ſolebant, aggreſſus, ut miſerabilia illa carmina quibus, H in ſupplicationibus Antiocheni utebantur, canerent, effecit. Eis Imperator commotus, cùm phialam manibus teneret, lachrymis abſtinere non potuit, urbique illi per libationem conciliatus eſt. *Micepb. l.*12. *c.*43.

Orta Byzantii ſeditione, eaque adeò invaleſcente, ut Anaſtaſius Imperator impius nulla vi eam reprimere poſſet: mittit præcones, qui vociferentur: ſe quidem paratum eſſe Imperii ſceptra deponere, verùm impoſſibile eſſe, ut omnes illis potiantur: ſed ex omnibus unum futurum, qui poſt ipſum imperet. Populus hæc audiens, obſecravit Anaſtaſium, ut coronam retineat, ac ſimul ſe quieturum pollicitus fuit. *Evagr. l.*3. *c.*44.

Ea nocte, quæ Alexii Branæ, ob affectatum Imperium ad Conſtantinopolim cum exercitu ſuo ab Iſaacio Angelo Imp. cæſi, interitum eſt conſecuta, Græcus ignis ædificiis ad fretum ſitis iniicitur. Poſtridie manè Latina cohors Conradi Cæſaris, Montisferrati Marchionis (qui eo in bello utilem Iſaacio navavit operam) urbe egreſſa omnia diripuit. Ad quem tumultum cùm opifices Latinorum ædes direpturi concurrerent, cæ-

des

des ingens opificum eſt facta: ac toto veſperè uſque ad cre- A puſculum malum illud duravit. Manè autem cùm Romani (hoc eſt Græci) majore impetu ad ſecundùm prælium ſe pararent, cùm clari viri ab Imperatore miſſi eos repreſſerunt, tum Latini ſolerti commento ſtultis fucum fecerunt, ac multũ de fervore illo reſtrinxerunt. Romanos enim, qui in pugna ceciderant, Latinis veſtibus indutos, raſiſque barbis in ſuarum ædium veſtibulis collocatos pro popularibus ſuis lamentati ſunt: & iis, qui ab Imperatore aderant, illos monſtrando, rogarunt, ne denuò committi prælium, ſeve bis iiſdem cladibus, quas cernerent, affici paterentur. Qui cùm illa ad opifices perferrent, & monerent, ut ea Latinorum calamitate exſatiarentur, vix tamen pacem impetrare potuerunt. *Nicetas l.*3.

Ann. 1169. Genuæ gliſcentes in dies tumultus inteſtini, egregiè nova Conſulum prudentia ſunt compreſſi. Quippe cùm in urbe ſeditio ſæviret, in agro verò cædes, ac latrocinia ob conſularis deſpectum poteſtatis impunè quotidie patrarentur, Conſules, ut hunc morbum ſanarent, cohortem trecentorum hominum aſciverunt, & cum valida militum manu in agrum egreſſi, quæſtiones de commiſſis maleficiis ſeve- B riſſimas habuerunt: quoſque admiſſi flagitii convicerunt, variis eos ſuppliciorum, mulctarumque generibus affecerunt. Inde ad urbana mala coercenda converſi, cives omnes ſacramento adegere, ſe enixè præceptis ſuis obſequuturos. Cæterùm diſcordias componere civiles ingreſſis, magna eſt illa difficultas objecta, quòd multi ſingulari ſe certamine provocarant, neque ſine pugnæ commiſſione in gratiam redire ſalvo honore ſuo ſe poſſe aſſeverabant. Qua re cognita Conſules huic incommodo ſic ſibi occurrendum putarunt. Quippè aream in platea Epiſcopali parari ipſis in ſpeciem pugnatoribus præceperunt, neque interim precibus propinquorum rogantium, ne tantum effundi civilis ſanguinis paterentur, ſimulata obſtinatione ceſſerunt. Poſtridie verò Concilium vocavere, atque eò reliquias S. Jo. Bapt. ex conſenſu Archiepiſcopi pertulere. Ibi cùm eſſent, tum Archiepiſcopus, & Conſules certatim ipſos, qui aderant principes factionum, ſummis orare precibus inſtiterunt, ut familias ſuas ſimultatibus, civitatem diſſidiis, urbem cædibus liberarent: condonarent autem injurias ſuas Conſulibus, condonarent Antiſtiti, qui C totius nomine civitatis orarent. Quòd ſi ſe tanto indignos beneficio exiſtimarent, ſaltem beatiſſ. ipſius Joannis rationem præſentis haberent, qui nobis Chriſtum ipſum humanæ pacis auctorem, & largitorem digito demonſtraſſet: cujus ſanctiſſima præcepta viderent, ne cum ipſius exitio corporis, animæque ſuæ deſpicerent. Quibus vocibus ipſi factionum principes victi, uſque adeò iras remiſerunt, ut extemplò lachrymantes oſcula pacis obtulerint, ac ſe redire in gratiam ſucclamarint. Exinde Conſulibus debiti eſt auctoritas attributa. *Sig. l.*14. *regni Ital.*

Innocentius II. Papa in Galliam fugerat Anacletum II. Antipapam. Ab Epiſcopis, & Ludovico Rege obviàm progreſſis exceptus, inde à Gaufrido Carnotenſi Epiſcopo Carnotum adductus, Henricum Anglorum Regem cum maximo Epiſcoporum, principumque ſuorum comitatu obviàm habuit. Eo verò invitis Epiſcopis ſuis Innocentium recipere non audente, Bernardus Clarevallenſis abbas, qui aderat, Quid hæſitas? inquit: an, ne Deo diſpliceas, & piaculum contrahas? cogita de aliis peccatis tuis quid ei reſpondeas: iſtud verò fac mihi relinquas. Atque ita illum ad colendum impulit. *Sigon. l.*11. *regni Ital.*

D Mortuo Anacleto II. Antipapa, Cardinales ejus, ut, aliqua interpoſita mora, commodiùs ſeſe in gratiam Innocentii II. inſinuarent, Gregorium Romanum Cardinalem ſublegerunt, ac pro Pontifice cultum, Victorem IV. appellaverunt. Bernardus autem Clarevallenſis, qui Romæ erat, pernicioſo finem diſſidio pro eximia ipſius erga Eccleſiam Romanam benevolentia quærens, noctu ipſum adiit, & cum eo collocutus, ad inſignia deponenda, atque ipſius Innocentii accipiendum imperium, pro ſumma, qua apud omnes valebat, auctoritate, adduxit. Itaque Victor ad Innocentium à Bernardo perductus, veniam facilè, cùm poſceret, impetravit. *Idem.*

Ericus Gothorum ſimul, & Danorum Rex, Algothi F. cùm conſpirationem quandam contra ſe factam comperiſſet, quos majore ſuſpicione notatos habebat, eos majoribus beneficiis ſibi obnoxios fecit, majorem tributorum partem relaxavit, præfatus ſe longè feliciorem ex fide, quàm ex pecunia civium fore; nec tantùm ſibi lucra prodeſſe poſſe, quantum odia obeſſent. *Joan. Magnus lib.*4. *c.*11.

Olaus cognomento Tretelia, poſt infelicia patris Intelligi fata Gothiam, & Sueoniam regebat. Biomus, & Suarus Re- E gneri Danorum Regis FF. univerſam Gothorum, & Sueonum Remp. ſubvertiſſent, niſi Olaus procerum populorumque animos, laxatis quàm pluribus tributis, & oneribus, quæ priores Reges impoſuerant, prudenter, & efficaciter ſibi reconciliaſſet. Quo facto, & domeſticam pacem penitùs labefactatam reſtituit, & victoriam hoſtibus eripuit. *Jo. Magn. lib.*17. *c.*9.

Conradus Znoymæ marchio, ob regni affectationem à Friderico Rege Bohemorum ſæpè repulſus, ut ſibi omnem novandarum rerum occaſionem adimeret, aſſumpto habitu tabellarii, à Palatino principe ex Germania cum tabellis ad Fridericum miſſi, & ſecretis prætereà mandatis, ad Regem perductus, arbitris omnibus ſemotis, in poteſtatem ſe patruelis tradidit cum ſuis fortunis omnibus. Hinc tandem offenſionum omnium, ſimultatumque inter illos factus finis: Conrado ad officia exhibenda parato, & Friderico ad referendam gratiam, ultròque benevolentiam oſtentandam prompto. Ex ſacra deinceps expeditione revertens, mortuo Friderico Rex Bohemiæ omnium Ordinum conſenſu declaratus: Nunc benè, inquit, navigavi, poſteàquam nau- F fragium feci, unde ad principatum uſque emerſi. Atque inde abſque mora Pragam ad ineundum honorem tranſiit. Non multò poſt, Henricum VI. Imper. in Siculam expeditionem comitatus, in Neapolis obſidione peſte periit. *Dubravius lib.*14.

Cùm in Bohemia turbata eſſent omnia, Legati miſſi ab Uladiſlao Rege Bohemiæ, & Hungariæ, partibus minimè ſuſpecti, quia à ſtudio illarum, contentioneque alieni, Stanislaus Olomucenſis, & Joannes Varadienſis Epiſcopi. Frequentiſſimo omnium Ordinum conventu Pragæ mandata Regis expoſuere. Mox juſſit ante omnia Varadienſis literas cum ſignis exhiberi eas, quibus nomen quiſque ſuum, fidemque in ſocietatem novi fœderis obligaſſet. Tacentibus primùm univerſis, mox tergiverſantibus, & extare illas negantibus: inſtat Varadienſis, urgetque, & ſe auctoritate Regia uſurum minatur, niſi dicto mandatoque Regio audientes fuerint. Ergo afferunt literas. Ille explicata pelle longa, lataque, neque quid in illa ſcriptum eſſet legit, neque ſigna circumquaque pendentia conſideravit, ſed cultro per medium illam diſcidit, G ſignaque amputavit, ac mox ea diſperſit, ne recolligi poſſent: Hilari inde vultu ordines affatus, ſpem illis dedit optimam, omnia ex uſu regni ſucceſſura: poſtquam liberè omnibus in medium conſulere liceret. Ergo communi intercedente conſilio, adhibitaque ab utroque Legato medicina, quæ vitioſas partes ſanaret, totum inde regni corpus belle convaluit. *Dubravius lib.*32.

Ludovicus IX. Caroli VII. Gallorum Regis F. adoleſcens, cupidus ante tempus, ſui eſſe juris, cum ſuis æqualibus adversùs patrem conjuravit: exercituque conſcripto, curam regni ſuſcipiendam, ſeque rerum omnium non ad patris præſcriptum, ſed ſuo arbitrio moderatorem faciendum ſtatuit. Carolus Principes convocat. Bona pars ſentit, conſilio & lenitate id mali avertendum. Quapropter primùm literis ad civitates ſcriptis præcipitur, ut nemo ſit Ludovici dicto audiens: deinde conjuratis impunitas promittitur: ac poſtremò per principes viros graves cum Ludovico, ac Ducibus de reconcilianda pace agitur. Filius ergo poſitis armis, confeſtim in gratiam cum Carolo rediit. Atque ita magna labes, quæ Rempub. obruitura videbatur, priùs eſt reſtincta, quàm fieri cœpiſſet. *Polyd. lib.*23. H

Joannes Vicecomes, Archiepiſcop. Mediolanenſis, cùm à Pont. Benedicto XII. expetentibus Florentinis, Avenionem ſub anathematis pœna citaretur: lætiſſima fronte reſpondit, Se eò uti fidelem, dictoque parentem ſervum deceret, inſtructa maturè profectione, venturum, ut præſenti obſequio provolutus ad pedes, ſacroſanctum Pont. veneraretur. Cæterùm Legatos præmiſit, qui per omnes urbis regiones ampliſſimas domos, perſoluta ejus anni penſione conducerent, ingentemque omnis generis commeatus copiam compararent, qua numeroſus comitatus aleretur. Porrò quæſtor multa onuſtus pecunia, adeò in id profusè operam intendit, ut & mirum in modum annona in foro creſceret, & peregrini, negotioſique homines ex omni Europa Avenionem ad pontificiam aulam confluẽtes nullum omninò tectũ, aut hoſpitiũ, Inſubre omnia occupante, vacuum reperirent, & propalã populus, & iniquilini de annonæ caritate quererentur. Quibus vocibus permotus Pontifex, Mediolanenſes Legatos cũcta prodigè coemẽtes

 vocat,

vocat, cauſam quærit, cur tantùm commeatus accumulent,
A totque paſſim ampliſſimarum ædium hoſpitia inani ſumptu ad querelam publicam conducant? Legati ita parare ſe juſſos è Joanne præſule, reſpondent, qui ſeptem millia armatorum equitum, totidemque peditum, præſidii,& comitatus cauſa ſit adducturus. Intellexit illicò Pontifex, quo rerum ſuarum periculo Joannes tantis inſtructus viribus foret expectandus: leniterque ſubridens, Tanti itineris laborem præſuli tanquam occupati, & præclarè Pontificii nominis ſtudioſo benignè ſe remittere dixit. Legati autem cùm dimitterentur, honeſtiſſimis viris virtutis nomine, aut parum ditibus conductas domos gratuitò conceſſerunt, ut commeatum quoque omnem aut ſacratis cœnobiis, aut è plebe miſeris, & egentibus largirentur, tanta cum laude, ut nemo eſſet, qui Joannis cauſam non ſtudioſiſſimè tueretur. *Jovius in vita Joannis.*

AMICITIÆ POLITICÆ PRIVATÆ prudenter conſulere.

Contrahendo.

B Anacharſin, Hermippus ſcribit, mox ut Athenas venerat, adiſſe Solonis ædes. Percontanti famulo, Quis,& unde? juſſiſſe, renunciaret, adeſſe Anacharſidem: qui & Solonem videre, & ſi fieri poſſet, etiam hoſpes fieri cuperet. Solon per puerum reſpondit, In patria ſolere fieri hoſpites: ſignificans, inter Græcos, & Scythas non eſſe jus hoſpitii. Ad hæc verba, quibus abigebatur Anacharſis, perinde quaſi juſſus eſſet introire, ingreſſus eſt ad Solonem: dicens, Sic jam eſſe in patria, & æquum eſſe ut hoſpitio jungeretur. Hujus reſponſi dexteritate delectatus Solon, lubens recepit hominem. *Plut. in Græcorum Apophth. & Laertius.*

Cleobulus, unus è ſeptem Sapientibus, non tam amicos quàm inimicos beneficiis proſequi oportere docebat: hos ut amicos, illos ut amiciores reddamus. *Diogenes in ejus vita, & Suidas.*

Reges (*teſte Horatio de Arte poetica*)

——dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitia dignus. ——

C Ageſilaus Spatanorum Rex, adverſarios ſuos in aperto quidem non lædebat: ſed efficiebat, ut ſemper illorum aliqui duces, & rectores mitterentur peregrè: quorum detegendo in poteſtate nequitiam, & avaritiâ, mox poſtulatus rurſus opem ferendo, & patrocinando, ex alienis neceſſarios ſibi reddidit, atque ad ſe traxit, ut infeſtum haberet neminem. *Plut.*

Idem Ageſipolim Regem alterum ſibi reddidit obnoxium. Epulantur Reges, cùm ad urbem ſunt, eodem in triclinio. Qui autem teneri ſciret Ageſipolim ſicut ſe amoribus, ſermonem aſſiduè de formoſis adoleſcentibus inſerebat, eodem illum impellebat, ſociuſque erat ei in amore, & adjutor. Sicut verò amores Laconici nulla cum turpitudine conjuncti: verùm magno cum pudore, honoris ſtudio, & æmulatione virtutis, *Plutarch. in Ageſilao, & in Laconicis.*

Athenæus initio 5. *libri* conſuetudinem Priſcorum laudat, qui largè hoſpites, epuloque ſumptuoſiore accipiebant: affirmans, multum adjuvare vinum initia amicitiæ: *δοκεῖ γὰρ ἔχειν πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικὸν, ἀναθερμαίνων τὴν ψυχὴν καὶ διαχέων. Victorius lib.* 12. *Var. lect. c.* 7.

Philippus Macedo, ingentem numerum captivorum ſub
D haſta vendens, ſubducta ſedebat tunica parùm honeſtè. Ibi unus ex iis, qui veniebant, exclamavit: Parce mihi, Philippe: amicus ſum tuus paternus. Requirente Philippo, Unde cedo ſis,& quemadmodum? Exponam tibi, inquit, ex propinquo. Ut ad eum adductus eſt: Dimitte, inquit, aliquantulum chlamydem: parum enim decorè ita ſedes. Tum Philippus: Miſſum facite, inquit, eum. Nam verè cupidum noſtri, & amicum eſſe me latuit. *Plut. in Regum Apophth.*

Alcibiades Athenis damnatus Spartam confugit: ubi auram popularem captavit, ac multitudinem dementavit ad vitam Laconicam accommodando ſe: ut corpore cùm viderent cute tenus raſum, frigida lavantem, offa victitantem, jure utentem nigro, haud crederent, mirarenturque, ſi coquum hic vir domi unquam habuiſſet, vel aſpexiſſet unguentarium, aut Mileſiam ſuſtinuiſſet. Habebat inter cæteras hanc unam artem & ad capiendos homines fabricam, ut aggregaret ſe, & converteret ad ſtudia, & mores aliorum, citioribus quàm chamæleon variis mutationibus. Veruntamen unum ille, ut ajunt, neſcit repræſentare colorem album: Alcibiades verò juxta inter bonos verſans, & pravos, nihil non imitari, non valebat exprimere. Itaque Spartæ exercitationibus intentus, frugalis, auſterus eſſe: in Jonia voluptuarius, lætus, ſegnis: in Thracia vi-
E no, & equitationi indulgere. Si cum Tiſſapherne ſatrapa ageret (ad quem ſe in Jonia contulit, Spartanorum inſidias veritus) pompa, & luxu Perſicum ſuperare ſplendorem. Non quo ſeſe tam expeditè in aliis ex aliis ritus deflecteret, aut omnem reciperet viciſſitudinem moribus: ſed quòd ſi ingenium ſequeretur ſuum, incurſurus eſſet in eos, quibus utebatur familiariter: figuram, & ſpeciem ſemper arripiebat, & inducebat eam, quæ illis eſſet appoſita. *Plut. in ejus vita.*

Cùm voluptuarius quidam contrahere cum M. Catone cuperet conſuetudinem: abnuens negabat vivere ſe poſſe cum homine, qui palatum quàm cor haberet acriore ſenſu præditum. *Idem in Catone.*

Tribuni Leges agrarias rogaverant. Eas M. Cicero Conſul oppugnabat. Cùm autem faverent huic Legi cùm alii ex nobilitate, tum princeps collega Ciceronis C. Antonius, unum ſperans ſe fore ex decemviris: & verò ille idem non videretur conjurationem Catilinæ, cujus eſſet conſcius, moleſtè ferre, quòd oppreſſus eſſet multo ære alieno. Huic vulneri primùm medicinam faciens Cicero, provinciam ei Macedoniam
F conceſſit, Galliam ſibi decretam depoſuit. Hoc ſibi beneficio devinxit Antonium, ut velut mercenarius hiſtrio ſibi in tuenda patriæ ſalute ſecundas partes ageret. *Idem in Cic.*

Joannes Sepuſius Ungarorum Rex, virorum fortium clientelas perpetua hoſpitalitate, & beneficentia partas, certos principum theſauros eſſe dicere erat ſolitus, quòd grati memores, una ſæpè forti, fidelique opera omnes ſumptus cumulatè perſolverent: ingrati verò cùm ignominia alienæ virtutis teſtimonium ferre viderentur. *Jovius lib.* 39. *Hiſt.*

Conservando.

Reverſo Abraham ex Ægypto in locum, unde venerat: Loth fratris filius ab illo in terram Sodomorum, ſalva charitate, diſceſſit. Divites quippe facti erant, paſtoreſque multos pecorum habere cœperant: quibus inter ſe rixantibus, eo modo familiarum ſuarum pugnacem diſcordiam vitaverunt. Poterat quippe hinc, ut ſunt humana, etiam inter ipſos aliqua rixa conſurgere. Hoc malum præcaventis Abrahæ verba ſunt ad
G Loth. *Gen.* 13. Non ſit rixa inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos, quia homines nos fratres ſumus. Nonne ecce tota terra ante te eſt? Diſcedite à me. Si tu in ſiniſtram ego in dextram: vel ſi tu in dextram, ego in ſiniſtram. Hinc fortaſſis effecta eſt inter homines pacifica conſuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum eſt, major dividat, minor eligat. *D. Aug. lib.* 16. *c.* 20. *de Civ. Dei.*

Amaſis penè ultimus eorum, qui priſcis temporibus Ægypti regnum tenuere, cùm omnia Polycrati Samoirum tyranno proſperè fluerent, experireturque in cunctis fortunam indulgentiſſimam, per literas (ut fertur) remiſit illi omne jus veteris amicitiæ. Teſtatus, videre ſe fortunam inſidiari huic, cui tam indulgenter obſequeretur. Prævidit Rex prudentiſſimus Polycratis exitium, ſuumque dolorem, quem ex amici adverſa fortuna percepturus erat, abdicatione antevertit. At illud quod ſuo regno imminebat, aut non vidit, aut certè vitare non potuit. *Sab. lib.* 4. *c.* 8. *ex Herod. lib.* 3.

Tyndarus ex Leda tres ſuſcepit filias, Phœben, Clytemneſtram Agamemnonis conjugem, & Helenam omnium for-
H moſiſſimam. Quam cùm præſtantiſſimi Græcorum juvenes ambirent, & quiſque eam habere cuperet: veritus Tyndarus, ne in mutuas cædes ruerent, jurejurando eos adſtrinxit, quemcunque illa ſortita eſſet maritum, ei ſe contra omnem vim tam domeſticam quàm externam auxilio futuros. Mox filiæ poteſtatem fecit eligendi, quem vellet ex procis, ſponſum. Illa Menelaum accepit. Ergò poſteaquam Paris Priami F. Helenam rapuit: Menelaus jurisjurandi Tyndaro dati Græcos admonuit, & pro repetenda Helena mille navium claſſem contra Trojanos exſcivit. *Euripidis Iphigenia in Aulide.*

Perſeus, cùm cuidam noto daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud menſarium. Hanc diligentiam cùm amicus admirans diceret: Adeòne legaliter Perſe? Scilicet, inquit, ut amanter recipiam, nec legaliter repoſcam. Fit enim ſæpenumerò, ut qui cum amico bona fide ſine teſtibus, ac ſyngraphis agunt, poſt coganṫur cum eo Legibus agere. Dicti nonnulla gratia eſt in Græcis, *νομικῶς*, & *φιλικῶς*. *Eraſm. lib.* 6. *Apophth.*

Leoprepem Deum, patrem Simonidis, cùm ſederet aliquando in palæſtra, duo adoleſcentes amici accedebant: & Quomodo durare maximè mutuo amore poſſent? interrogabant. Qui

Qui reſpondit: Si neque mutua ira concitati, neque diffiden-
A tes animis, alter alterum irritarit. *Ælian. lib.* 4. *de Var. hiſt.*

Bias, cujus ſapientia diuturnior inter homines eſt, quàm patria Priene fuit (ſiquidem hic etiam nunc ſpirat, illius perinde, atque extinctæ veſtigia tantummodò erant) ita ajebat: Oportere homines in uſu amicitiæ verſari, ut meminiſſent, eam ad graviſſimas inimicitias poſſe converti. Quod quidem præceptum prima ſpecie nimis fortaſſe callidum videatur, inimicumque ſimplicitati, qua præcipuè familiaritas gaudet: ſed ſi altioribus animis cogitatio demiſſa fuerit, perquam utile reperietur. *Val. Max. lib.* 7. *c.* 3.

Cùm Nonius, homo Auguſto principi perneceſſarius, veneficii cauſam diceret, dubitaſſe dicitur Octavius, quæ eſſent ſuæ partes: veritus, ne ſi reo ſupereſſet ſua auctoritas, legibus reum eriperet: contra, ne à ſe deſtitutum prædamnare videretur, amicis ita conſentientibus, ſedit in ſubſelliis aliquot horas, verùm tacitus, ne judiciali quidem laudatione uſus, ne princeps plus velle videretur, quàm civitatis jura poſtularent. *Sab. lib.* 4. *c.* 4. *ex Suet.*

B Aripertus II. Longobardorum Rex, advenientibus ad ſe gentium exterarum legatis, vilibus indutus veſtibus occurrebat, quò minùs ipſis Italiæ deliciis caperentur, neque apparatis epulis illos excipiebat, neque præſentibus illis magnificas ullas in aliis rebus impenſas edebat. *Sig. lib.* 2. *reg. Ital.*

Canutus II. Danorum Rex, parta pace, cùm milites in aula ſua, natione, linguis, ingeniis, quàm maximè diſſidentes animadverteret: Oponis Sialandici, cæteros prudentia, atque auctoritate præſtantis, conſilio ſtatuit, ut in capeſſendo diſcubitu ordine, quo quiſque militaris muneris advocationem ſortitus fuerat, uteretur, locoque antecelleret, qui prior obſequio foret. Eum verò qui cœna inita, aliqua mora interpellante, tardior ſuperveniſſet, inter conſidentes excipi oportebat. Qui ſi tam arcto ſe conſeſſu junxiſſent, ut qui ſupervenerat recipi nequiret, qui ejus loco inſederat exſurgens proximum occupabat, eo uſque invicem ſe aſſurgendi officio venerantibus, donec, laxato totius conſeſſionis ordine, legitimum recipiendo ſpatium patuiſſet, menſaque, qui poſtremus reſidebat, abſcederet. Si quis verò alie-
C no diſcubitu uti per inſolentiam perſeveraſſet: teſtibus in concionem productis convictus reus, ſtipendiis privabatur. Ter tamen regi tali neceſſitatem pœnæ remittere fas erat, nec aliter, quàm ut tot gradibus quis diſcubitu indignior fieret, quot vicibus ſodalem dignæ ſedis negatione ſpreviſſet: Quòd ſi quartum peccaſſet, commilitonum nemini catino, aut calice communicare poterat. Eodem pœnæ genere in minutos quoſque animadvertebatur exceſſus. *Saxo. lib.* 10.

Quo ſtudio fidem cæteris in rebus ſemper coluerint Rhacuſani, eo maximè tempore declaratum eſt, quo Georgius Triballorum, ac Dardanorum Rex, regno à Turcis pulſus, Rhacuſum unà cum familia ſua ſe recepit, vi magna auri ſecum allata. Nam cum fidei Senatus Rhacuſani ſua omnia credidiſſet, Rhacuſani, neque terrore Turcarum, quo ferè Europa, id temporis magnopere perculſa erat, neque ullo præmio adduci potuerunt, quò minùs fidem ſervarent. Quam profectò conſtantiam, Amurathem Othomannum Turcarum Regem vehementer admiratum dixiſſe ferunt, urbem haud facilè perditam iri, in qua tanti dicitur fides; cæterùm, Rhacuſani haudquaquam contenti hoc tantummodo in
D Dardanum Regem officio, conſuluerunt ei, uti confeſtim Hungariam peteret, fortunamque recuperandi regni tentaret. Itaque Rhacuſanis navibus Scardonam deductus: inde in Hungariam profectus, brevi ab Hungaris, cùm opera Jani Huniadis Regis Mathiæ patris, tum theſauro in militum ſtipendia erogato, quem ei (ut dictum eſt) Rhacuſani conſervarant, in regnum eſt reſtitutus. *Ludovic. Tubero l.* 5. *Comment.*

Arlottus Plebanus, Florentino cuidam, magni nominis viro, rem abſurdam perſuadere conanti fidem ſe adhibere ſimulavit. Subſannantibus quibuſdam, quòd qui alios capere ſoleret, ipſe deceptus eſſet: Ut boni eſt piſcatoris, reſpondit, piſciculi capiendi cauſa aſpergines non vereri: ita ei, qui potentum ambit amicitiam, nihil ſubterfugiendum, quo illos capiat. *Auctor vitæ.* Sed hoc ab Ariſtippo Plutarchi mutuatus videtur Auctor.

Victi erant Galli memorabili acie ab Hiſpanis, Conſalvo Ferdinando eorum duce: veneratque Hiſpanus orator ad Leonardum Lauretanum Venetorum principem, & patres, victoriæ lauream nunciaturus: aderatque eodem tempore Gallorum Regis Legatus. Qui evocati in collegium, cùm triſtior
E alter, alter exultabundo ſimilis aſſediſſet: converſus Dux ad utrumque: Ego, inquit, penes vos Pauli Apoſtoli verbis in præſentia utar: ut quando divinæ voluntati nemo poſſit obſiſtere, fleam quoque ego cum flentibus, gaudeam cum gaudentibus. Quo principis dicto adeò omnis invidia levata eſt, ut Galli, & Hiſpani viciſſim gratias illi agerent, indeque diſcedentes ejus ſingularis viri prudentiam inprimis admirarentur. *Egnatius lib.* 6. *c.* 2.

Reconciliando.

Simultates privatas prudenter tollere.

Jacob ex Meſopotamia poſt aliquot annos domum repetens, veteris in fratrem offenſæ non immemor, præmiſit, qui Eſau precibus, & donis delinirent, ſi qua adhuc in eo veteris injuriæ ira inſideret. Per quæ facilè conſecutus eſt, ut quàm inviſus patrium ſolum verterat, tam jucundus ſit poſtliminiò reverſus. *Geneſ.* 32.

Zabal Ziphæus, ex poſteris Caleb, homo dives, at ut nomine, ita & re ſtultus, inhumanus, ingratus, cui in Car-
F melo monte paſcebant tria ovium millia, & mille capræ: nuncios Davidis Regis exulis propter Saul inſidias, commeatum petentes placidiſſimis verbis, inhumaniter rejecit, neque ſibi quid negotii cum fugitivis illis fore pronunciavit. David ea re commotus, maximè quòd Nabal tam ingratus erga ſe ſuoſque eſſet, quorum tamen opera, atque fide pecora Nabal in Carmelo conſervata fuiſſent, cùm alioqui impunè in ſolitudine ea diripere potuiſſent: cum CCC militibus ad excindendam Nabal domum aſcendebat. Verùm Abigail uxor Nabal formoſiſſima, caſtiſſima, & prudentiſſima, re comperta clam marito, ducentos panes, duos vini utres, quinque oves apparatas, quinque ſata polentæ, centum uvas paſſas, & CC. ficuum palathas aſinis impoſuit, iiſque Davidem iratum placavit: Domum reverſa, Nabal, poſtero die cùm crapulam heſternam exhalaſſet, rem omnem indicavit. Ille territus, tanta animi defectione, & corporis ſaxeo quodam ſtupore diriguit, ut intra decem dies interierit. David ejus morte audita, Abigail indignam ſe dicentem, quæ vel ſervorum illius pedes lavaret, in matrimonium duxit, cùm etiam alteram haberet, Achinoam Jezraelitam.
G Nam Michol Saul pater exultante Davide locaverat Phalli Lais F. Gallimenſi. 1. *Reg.* 26.

Talthybius, & Eurybates, Agamemnonis Regis præcones, & oratores, miſſi ab eodem ad Achillem, pro abducenda per vim Briſeide: cùm viri boni eſſent, neque vel Regis ſui juſſis auderent repugnare, vel audacter ab Achille id quod juſſi fuerant petere, quia injuſtum erat, ab Homero introducuntur muti, quando ait:

Τὼ μὲν ταρβήσαντε καὶ αἰδομένω βασιλῆα
Στήτην, οὐδέ τί μιν προσεφώνεον, οὐδ᾽ ἐρέοντο.

Metu primùm conſternati, loqui non poſſunt: voce deſtituti, geſtu reverentiam exhibent. Et ſic prudenter admodum, & regis ſui mandatis parent, & Achillem, quem verbis exaſperaſſent, ſua humilitate flectunt. Solent enim generoſa ingenia nulla re magis moveri, quàm humilitate, & deprecatione.

Achilles, cùm apud ſe Menelaum, & Antilochum de certaminis equeſtris ſecundis cerneret ambigentes, veritus ne in majorem flammam, & contentionem prorumperent, alteri ſtatuit præmium aſſignare: ac dum verbis Menelaum (alii Eumelum) miſeratur, celebratque, reipſa cauſam eorum concertationis tollit. *Plut. l.* 1. *Quæſt. convivalium.* 2.
H

Ferulam fruticis genus, quo non aliud levius, utilem ad fulciendos vacillantes ætate ſenes, à Baccho repertam, eique ſacram affirmant, ut vino titubantes fulciat, nec oneret tamen. Cùm reperto vini uſu homines paſſim ebrii ligneis baculis plurimos vulnerarent, Dionyſius, ut pro fuſtibus ferulas geſtarent, edixit. *Diodor. & Plut. in Sympoſ. Idem apud Stobæum*, majores Baccho ſimul, & ferulam, & oblivionem conſecraſſe refert, nimirum hoc innuentes, non oportere meminiſſe, ſi quid in convivio peccatum ſit; aut certè levem admodum, ac puerilem reprehenſionem ſufficere, nam antiquitùs literatores diſcipulorum manus ferula cædebant.

Archidamum Zeuxidami F. duo ceperunt arbitrum. Hos in Chalciœci templum duxit, ibique jurejurando adegit, judicatis ſtaturos. Adjuratis, Judico, inquit, ne priùs templo pedem efferatis, quàm inter vos de controverſia tranſegeritis. *Plut. in Apophth.*

Plato in ſuſpicionibus, & ſimultate, quam habuit cum Dionyſio, copiam poſtulavit ejus conveniendi. Quam ille expoſtu-

expoſtulaturum, & queſturum arbitrans de injuriis ſibi illatis Platonem dedit. At Plato ad hunc modum eum affatus eſt: Si quem ſenſeris, Dionyſi, infeſtum tibi navigaſſe in Siciliam, ut tibi aliquid mali crearet, deficiatur autem occaſione, num hunc abnavigare prætermittas impunitum? Minimè, inquit, Plato, Dionyſius: Non enim facta tantùm, ſed & conſilia odio habenda, & vindicanda inimicorum ſunt. Si quis ergo, infit Plato, amore tui huc ſe contulerit, ut apud te aliquid beneficii deponat: tu verò locum ei non dederis: ecquid hunc debes proiicere inhumaniter, & contemptim? Ubi, Quinam hic foret, percontatus eſſet Dionyſius: Æſchines, inquit, vir moribus modeſtis, cùm quovis Socratis aſſectatorum conferendus, & inſtructus facultate, ut per doctrinam polire valeat eos, quibuſcum agit. Hic ingens æquor emenſus, in Philoſophia, ut conſuetudinem tecum haberet, abs te deſpicitur. Hæc oratio uſque adeò commovit Dionyſium, ut extemplò Platonem quidem complecteretur, & deoſcularetur, placidum, & excelſum animum ejus admiratus: Æſchinem verò egregiè, & magnificè proſecutus ſit. *Plut. de Diſcernendis adulatoribus*, & *Laertius lib. 3.*

Ariſtippus, cùm aliquid ſimultatis ei cum Æſchine interceſſiſſet, ac dixiſſet quiſpiam: Ubi nunc veſtra, Ariſtippe, conſuetudo? Dormit, inquit: cæterùm ego eam ſuſcitabo, ac profectus ad Æſchinem: Itane tibi prorſus, inquit, miſer videor, & deploratus, ut correptioni non ſit apud me locus? Tum ille: Non eſt, inquit, mirum: ſi, qui in omnibus natura me excellis, etiam hic, quid rectum ſit, prior videri. *Plut. de Non iraſcend.*

Arcadio paraſitus voluntarium ſibi indixit exilium, ob odium, quo Philippum Macedonem proſequebatur. Delphos Philippus profectus, eo conſpecto, Quouſque tandem fugies, inquit Arcadio? Donec ad eos pervenero, reſpondit, qui Philippum ignorent. Plutarchus riſiſſe ait Philippum, Arcadionemque ad cœnam vocaſſe, atque ſic inimicitiam fuiſſe ſolutam. *Athen. lib. 6. c. 6.*

Eumenes Cardianus cum Ephæſtione vivo ſubinde lites exercebat. Cæterum defuncto Ephæſtione mœrens Rex Alexander, omnibuſque, quos vivo illi invidiſſe arbitrabatur, atque ejus lætari morte, infeſtus, & aſper, præ cæteris Eumenem in ſuſpicione habebat, memoravitque crebrò rixas illas, & convitia. Verùm verſutus ille, doctuſque accommodare ſe tempori, inſtitit ex eo, quo vulnerabatur, mutuari remedium. Confugit enim ad Alexandri in decoranda memoria Ephæſtionis prolixitatem, & ſtudium, ſuggeſſitque ei honores, quibus maximè ornare valeret defunctum, atque argentum ad excitandum Ephæſtioni tumulum largè, & benignè præbuit. *Plut. in Eumene.*

M. Craſſus ad bellum Parthicum profectus, maluit amicum quàm inimicum Ciceronem relinquere. Quare amicè eum appellans, apud eum dixit velle ſe cœnare. Invitavit Cicero eum comiter. Paucis interpoſitis diebus, adierunt Ciceronem amici aliquot, rogatu Vatinii, de reconciliatione gratiæ: nam erat inter eos ſimultas. Ibi infit Cicero: Num & Vatinius apud me cœnare vult? *Plut. in Cicerone.*

Alfonſus VI. Hiſpaniæ Rex, Toletum urbem deditione acceperat, incolumitatem pollicitus Saracenis, & in majore baſilica religionis illorum exercitium. Intereà Conſtantia Regina cum Bernardo Archiepiſc. Toletano noctu Meſquitam intrant, purgant, aram erigunt, D. Mariæ conſecrant. Saraceni Regis fidem accuſare, implorare. Rex ſumma celeritate in urbem venit, certo conſilio de auctoribus ſupplicium ſumendi: & quia ſciebat multos interceſſuros, præſentibus Saracenorum Legatis juravit, nihil ſe eorum quę pro Regina, & Archiepiſcopo peterentur, facturum. Ergo Regina, & Archiepiſcopus clerum, & omnes Religioſos cum Regia Filia induta cilicio præmiſerunt. Quos cùm Rex vidiſſet, deſcendit de equo, ut ſacris ſolitam reverentiam exhiberet. At cùm filiam conſpexiſſet: Vah, inquit, matri comes eris in morte. Juravi nil agere eorum, quæ petitura es. Filia verò, Peto ergo, inquit, ut Reginam tibi terreno Regi non parentem, ſed cæleſti Regi fidelem ſimul, & Archiepiſcopum illicò interficias. Rex tam pia ſagacitate devictus ad filiam ait: Liberaſti à morte matrem, ſed perpetuo maritali carebit conſortio. Vix verba expleverat, & vidit univerſos Saracenos utriuſque ſexus obvios ſupplicantes, ut Reginæ, & Archiepiſcopo veniam daret, aſſerentes, ex veteris oraculi fide idipſum nutu divino factum eſſe. Ergo Rex acquievit precibus ſupplicantium, & lætus intravit civitatem. Mox Eccleſiam ex Meſquita conſecratam devotè viſitans, in medio portæ Reginam ſacco indutam, & Archiepiſcopum pontificalibus ornatum juvenit, clamantes, Peccavimus in te, ò Rex, ſed oramus, peccati cauſam & finem reſpice. Rex igitur manus Præſulis deoſculans, & Reginam amplectens, regale palatium petiit. *Rod. Toletan. lib. 6. rer. Hiſp. c. 26.* & *Rod. Sanctius part. 3. hiſt. Hiſp. c. 29.* & *Marinæus l. 7. rer. Hiſp.*

Alfonſus Rex Aragonum, canibus iratis, & oblatrantibus offulam obiiciendam affirmabat. Innuens, homines malevolos benevolentia reconciliandos eſſe. *Pont. c. 30. de Liberalitate.*

Tigurini duo fortunas ſuas litigando invicem attriverant. Alter eorum cordatior ſuam, & adverſarii dementiam ſerò tandem deſpiciens, armatus cum filio ad ædes adverſarii deſcendit. Is ad vim repellendam accurrens cum ſervo, cauſam adventus rogat. Tum ille, Et religione ſacroſancta, & privatis incommodis adductus, contentionem tanto jam tempore, magno utriuſque noſtræ cum diſcrimine, alitam, & conſervatam, depoſiturus adſum. Filium habeo animo probum, manu ſtrenuum, ei filiam tuam bene moratam virginem in connubium depoſco: ut his veluti obſidibus benevolentia mutua ſanciatur. Inexpectata adverſarii manſuetudine obſtupeſcens alter, amicis convocatis, filiam ſuam adverſarii filio deſpondit. *Joan. Paulus in Jocoſeriis.*

Jacobus cognomento Grandis, primus fuit, qui ex Carrarienſi familia univerſi populi Patavini conſenſu civitatem rexit: anno Salutis 1318. Hic ipſe antequam princeps fieret, cùm patrocinium laturus cuidam amico ad prætoris veniſſet tribunal, ut amici cauſam judici commendaret, & adverſæ partis patronus omiſſa cauſa, quam agebat, liberiore lingua, & indignis in eum conviciis invehi cœpiſſet: ei illi ſumma modeſtia reſpondit, ut bene cauſam diceret, & deſineret de ſe maledicere. Cùm verò inde uterque diſcederet, Jacobus illi in aurem inſuſurravit. Linguam tibi præcidam, maledice. At ille hoc verbo audito ad judicem converſus, in abſentem debacchatus eſt. Jacobus verò, ubi primùm domum ſeſe recepit, juſſit quantum frumenti currui imponi poterat, & ſuem domeſticum magni ponderis ad illum deferri, ſuoque eidem nomine donari. Accepit ille lubens, & gratias agens dixit: Prorſus ſanè dominus meus, placidè, ſine ferro, linguam mihi præcidit, & contra ſe mutum reddidit. *Bern. Scard. l. 3. claſſe 13. hiſtoriæ Patavinæ.*

Parum conveniebat inter duos quoſdam cognatos de re dividenda. Cùmque neuter alteri vellet concedere, res eò ſpectabat, ut iretur in jus, & judicum ſententiis controverſia finiretur. Adibantur advocati, parabantur dicæ, res erat cum Jureconſultis. Aditi judices, conteſtata lis, cœpit agi cauſa: hoc eſt, bellum ſuſceptum eſt. Ibi alter maturè reſipiſcens, adverſarium privatim accerſitum his verbis alloquitur: Principio parum decorum eſt, ut quos natura copulavit, pecunia diſſociet. Deinde eſt incertus litis eventus, haud minus quàm belli. Suſcipere nobis in manu eſt, finire non eſt. De centum aureis tota lis eſt. Ejus ſummæ duplum in Notarios, in Promotores, in Advocatos, in Jureconſultos, in Judices, in Judicum amicos expendetur, ſi Legibus experiamur. His erit inſerviendum, adulandum, dandum: interim taceo curas ambiendi, curſitandique labores. Denique ut maximè vincam, plus eſt tamen incommodi, quàm commodi. Quin potiùs ipſi nobis ſapimus, quàm iſtis prædonibus: & in hos malè collocandam pecuniam inter nos partimur. Concede dimidium de tuo, ego tantundem de meo concedam. Ita & amicitiam noſtram, alioqui perituram, lucrifaciemus, & tantam moleſtiam effugiemus. Quòd ſi recuſas quicquam concedere, ego vel univerſum negotium tuo permittam arbitratui. Malo penes amicum ſit hæc pecunia, quàm penes inſatiabiles illos prædones. Abundè magnum fecere lucrum, ſi & famæ pepercero, & amicum ſervavero, & tantùm effugero moleſtiarum. Movit adverſarium tum rei veritas, tum cognati feſtivitas. Rem tranſegerunt, iratis advocatis, & judicibus, quos corvos deluſere hiantes. *Eraſmus.*

AMICITIÆ OECONOMICÆ PRUDENTER CONSULERE.

RIXAS OECONOMICAS TOLLERE.

Inter

PARENTES, ET LIBEROS.

Abſalon propter cædem Amnonis fratris Geſſur profugerat ad avum paternum, ibique triennio manſerat, patris Davidis iram metuens. Joab ergo Sarviæ ſororis Davidis F. Polemarchus, ſubornavit mulierem quandam prudentem, nomine Thecuam, quæ luctum ſimulans, Regem adiret, & duos filios ſe habuiſſe diceret, inter quos ruri orta contentione, unus alterum occidiſſet, nunc univerſos gentiles fratricidam poſcere ad necem. Rogare ſe Regem, ne unicum hæredem, ſuæque ſenectæ baculum interimi permitteret. Rex ſeſe interceſſurum ſanctè promiſit. Tum illa: Qua ergo de cauſa, ò Rex, tanto jam tempore contra Abſalon filium iraſceris? Amnon periit, Abſalon generis tui ſpes, atque decus etiamnum ſupereſt. Vivum ergo omnium Iſraelitarum cauſa in gratiam recipere, eique hoc peccatum condonare velis. Rex, qua erat prudentia, Joab hoc eſſe commentum facilè intellexit: & mulieris precibus annuens, Joab ad revocandum filium miſit. Toto tamen biennio in Regis conſpectum venire non fuit auſus. *2. Reg. 14.*

Herodes Judæorum Rex, Alexandrum F. cui Glaphyra Archelai Cappadocum Regis filia juncta erat, propter ſtructas Inſidias in vincula conjecerat. Archelaus genero proſpectum cupiens Hieroſolymam continuò advolat, & ſeſe Alexandri facinus deteſtari clamat, & Herodi auctorem eſſe, ut de ſcelerato pœnas ſumat: ſeſe in filiam Glaphyram, ſi facinoris conſcia deprehendatur, ſeverè animadverſurum: ſin minùs, at certè conjugium dirempturum, ne parricidæ concubitu ulteriùs coinquinetur. Hac oratione Herodis animum, qui excuſatione criminum magis exacerbari, quàm mitigari conſueverat, ita flexit, ut Archelaum ipſum monuerit, patrem ſe eſſe recordaretur, nec quid gravius in filiam ſtatueret. Tum Archelaus Herodem viciſſim liberè ſui erga filium officii admonuit. *Joſeph. in Antiq.*

Piſiſtratus cùm diſſidium inter ipſum, & filios extitiſſet, eoque lætari advertiſſet inimicos, advocata concione, Cupiſſe ait filios ſe in ſuam adducere ſententiam: cæterùm, quia contumaces ſint, illis velle obſecundare, & obtemperare. *Plut. lib. 1. quæſt. convivalium, quæſt. 1.*

Vetus olim Senatuſconſultum fuit, primùm à Solone veteri lege ſancitum, inde ad Romanos deductum, quo cautum fuit, Patre vivente, filio, qui ſub patris jure eſt, credi pecuniam non licere: & qui credidiſſet, petitionem non habere: ne filiusfamilias ære nexus alieno, ut creditum redderet, vel necem patri machinaretur, aut aliunde eam inhoneſtiùs quæreret. Ipſius SC. verba hæc ſunt: Placet, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis, cujus in poteſtate fuiſſet, actio, petitioque detur. Ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filiifamilias bonum nomen, inde expectata patris ſui morte, fieri. *Alex. l. 1. c. 7.* ubi locum illum ex Phormione Terentii explicat, Hui dixit pulchrè, ſiquidem quiſquam crederet, Te vivo.

Ædeſius Cappadox, generis nobilitate inter ſuos facilè princeps, à patre mercaturæ cauſa in Græciam fuerat amandatus. At is ſuum ſecutus genium, Philoſophiæ dare cœpit operam. Revertentem pater domo, ut inutilem exegit, fugientemque perſecutus eſt, his verbis: Ecquid tandem emolumenti affert Philoſophia? tum ille converſus: Hoc ipſum, inquit, & ſupplex ad genua patri accidit. Qua re ſic motus eſt pater, ut illum in gratiam receperit, & Jamblichum in Syria audiendi libertatem conceſſerit. *Eunapius.*

Gaufredus Fulconis Andegavenſis Comitis F. cùm vivens à patre Comitatus honorem accepiſſet, ac tyrannicè imperaret, armis à patre pulſus, agnita culpa jumentaria ſella in tergum recepta, patris pedibus obvolutus veniam petiit. Quem cùm pater pede ter calcaſſet, improperans, tandem victum eſſe: ei filius intrepido animo reſpondit: A te pater, fateor me jure victum, cùm pater ſis: à nemine alio vincendus. Id quod patrem magnopere ad ignoſcendum movit. *Fulgoſus lib. 5. c. 9.*

CONJUGES.

TUM

Pacem conſervare.

Heſter puella Hebræa ob formæ elegantiam concubina primùm, mox juſta uxor Regis Perſarum Aſſueri, natales ſuos diſſimulavit apud Regem, juſſu Mardochæi avunculi, ne contemptu gentis parum gratioſa eſſet. *Conſule hiſtoriam ſacram.*

Catheorum Indorum proprium eſſe, dicit Oneſicritus, ut ſponſus, & ſponſa ſe mutuò eligant. Item ut uxores cum viris defunctis comburantur, ob hanc cauſam, quòd cùm aliquando adoleſcentulos adamarent, à viris ſecedebant, vel eos veneno interimebant. Ut ergo veneficia tollerentur, hanc legem conditam fuiſſe. *Strabo lib. 15.*

Livia, Auguſti Cæſaris uxor, nulla alia re ſibi Auguſtum ſubjeciſſe ferebat, quàm modeſtia, & diſſimulatione: modeſtia quidem, quòd ea quæ placerent Auguſto, fecerit libenter: diſſimulatione verò, quòd ſcire nollet, quibus ille rebus venereis domi frueretur, etiamſi eſſent apertiſſima. *Dion. in Tiberio.*

Rixas tollere, Reconciliare.

Junonem ajunt iratam Jovi, incertum qua de cauſa, in Eubœam ſeceſſiſſe. Jovem cùm placare eam non potuiſſet, ad Cithæronem, qui tunc Platæenſibus imperabat veniſſe: fuiſſe verò Cithæronem nemini calliditate ſecundum. Ejus monitu Jupiter ſimulachrum è ligno fabricavit, illudque plauſtro veſtimentis velatum impoſuit. In vulgus verò prodidit, Platæam eam eſſe, Aſopi filiam, quæ ſibi eſſet deſponſata. Id ubi ad Junonis aures pervaſit, accurrit illicò, & ad plauſtrum accedens, veſte conſciſſa, ligneam eſſe effigiem comperit, quam novam eſſe nuptam putarat. Falſam ſe itaque lætanti animo ferens, facilè in gratiam cum Jove rediit. In ejus rei memoriam Platæenſes Junoni Taleæ, id eſt, adultæ templum ædificarunt, & feſtos celebrant dies, ſeptimo quoque anno Dædala quæ nuncupantur parva: quòd priſci lignea ſigna Dædala vocitabant. Bœoti reliqui Dædala magna dicta, ſexageſimo demùm anno. *Pauſan. in Bœoticis.*

Hipparete uxor Alcibiadis, cùm eſſet impatiens injuriarum genialis thori, quòd conſuetudinem ille haberet cum meretricibus peregrinis, & urbanis, divertit ab eo, & contulit ſe ad fratrem. Non laborante id Alcibiade, ſed lætè agente, oportebat eam divortii monumenta apud archontem deponere, non per alios, ſed ipſam præſentem. Quæ ubi adfuit, ut id ex lege ageret: irrumpens Alcibiades rapuit eam, medióque foro domum ferens abiit: nec fuit quiſquam, qui obſiſtere vel eam auferre ſuſtineret. Atque ſic illa manſit apud eum, quoad vixit. *Plut. in Alcibiade.*

Monica, D. Auguſtini mater, ſocrum ſuam primò ſuſurris malarum ancillarum adversùs ſe irritatam ſic vicit obſequiis, perſeverans tolerantia, & manſuetudine, ut illa ultrò filio ſuo Patricio medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe, & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam. Poſteaquam ille, & matri obtemperans, & curans familiæ diſciplinam, & concordiæ ſuorum conſulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coercuit, affirmavit illa, talia de ſe præmia ſperare debere, quæcunque de nuru ſua ſibi quo placeret, mali aliquid loqueretur: nullaque jam audente, memorabili inter ſe benevolentiæ ſuavitate vixere. *D. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 9.*

FRATRES, AMICITIAM COLERE, CONSERVARE.

Jacob Patriarcha poſt multos annos ex Meſopotamia domum repetens, veteris in fratrem offenſæ non immemor præmiſit, qui Eſau precibus, & donis delinirent, ſi qua adhuc veteris in eo injuriæ ira inſideret. Per quæ facilè conſecutus eſt, ut quàm inviſus patrium ſolùm verterat, tam jucundus ſit poſtliminiò reverſus. *Sab. lib. 4. c. 8. ex Gen. c. 32.*

Scilurus octoginta filiorum pater, jam vicinus morti, faſciculum ex jaculis porrigens unicuique confringere juſſit. Cùm autem omnes defeſſi nihil effeciſſent, ipſe ſingillatim extrahens jacula omnia facilè fregit. Docens ipſos hoc argumento, quòd uniti, & concordes, robuſti permanſuri eſſent: diſſoluti autem, imbelles futuri. *Stob. ſerm. 82. Plutarch. in Reg. & Imp. Apopb.*

Euclides Socraticus in ſcholis celebratur: quòd cùm vocem audiſſet fratris ad ſe importunam, & belluinam, cùm diceret: Diſpeream, niſi te malè accipiam: Ego verò, inquit, niſi te inducam, ut iram deponas, ameſque nos, ſicut ante amabas. *Plut. de Pietate erga fratres.*

Changius Cham, primus Tartarorum Rex, jam morti proximus, XII. filios convocavit, & XII. ſagittas uno faſce comprehenſas natu maximo frangendas dedit. Quod cùm ille nequiret: ſecundo, inde tertio, & ſic cæteris. Verùm cùm nullus id poſſet, faſcem ſolvit, & minimo natu imperavit, ut ſagittas ſingulas confringeret. Quod cùm ille nullo negotio præſtitiſſet, converſus ad omnes. Neque vos filii chariſſimi, ſi concordes fueritis, à quoquam ſuperari poteritis: diſcordes facilè conficiemini. *Haitonus Armenus in libro de Tartaris*, & *Sabellicus lib. 6. Ennead. 9.*

DOMINOS, AC SERVOS AMICITIAM, FIDEM fovere.

Antonius Leonius, Genuenſis mercator, cùm æger graviter laboraret, ſervos, ac ſervas, qui ægro miniſtrabant, teſtamen-